DE VATICINATIONE

VATICINANTIBUSQUE PERSONIS

IN

GRÆCORUM TRAGŒDIA

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28

DE VATICINATIONE

VATICINANTIBUSQUE PERSONIS

IN

GRÆCORUM TRAGŒDIA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

ÆM. THOMAS

IN SCHOLA NORMALI OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN BIBLIOPOLAM ET EDITOREM

7, VIA DICTA DE MÉDICIS, 7

MDCCCLXXIX

JULIO GIRARD

GRATUS DISCIPULUS

Ἓν πρῶτον καὶ μέσον καὶ τελευταῖον ἐν τούτοις κεφάλαιον ἀγωγὴ σπουδαία ... ἐστί.

PLUT., *De educ. puer.*, 7.

LIBELLUM DD.

INDEX LIBRORUM

QUOS ADHIBUI.

Præter notissimos libros qui ad græcam tragœdiam omnem pertinent *G. Schlegeli, Patini* (Trag. gr., 4e éd., 1870–73), *Bodei* (Hellen. Dichtk., 1838-39), *Nægelsbachii* (Hom. Theol., 1840, et Nachhom. Theol., 1857). *Julii Girard* (Sentiment religieux..., 1869), *Bernhardyi* (Griech. Lit. Dritte bearb., 1872) :

CAR. ROB. PABST. *De diis græcorum fatidicis, seu de religione qua Græcorum oracula nitantur.* Bernæ, 1840, in-8°.

BOUTERWECK. *Comm. Soc. scient. Gott. rec.*, t. II, 1811-13. De justitia fabulosa ad rationem tragœdiarum græcarum philosophicam atque politicam pertinente.

PAULY. *Encyclop. Divinatio.* Mezger.

E. ROUX. *Du merveilleux dans la tragédie grecque* Paris, Didot, 1846, in-8°.

F. R. CAMBOULIU. *Essai sur la fatalité dans le théâtre grec.* Paris, Durand, 1855, in-8°.

RUD. HENR. KLAUSEN. *Theologumena Æschyli tragici.* Berlin, 1829, in-8°.

RUD. HAYM. *De rerum divinarum apud Æschylum conditione.* Berlin, 1843, in-8°.

HENR. DINGES. *De divina rerum humanarum apud Æschylum moderatione*; progr. Bensheim, 1871, in-8°.

H. WEIL. *Aperçu sur Eschyle et les origines de la tragédie grecque.* Besançon, 1849, in-8°.

— *Ejusd.* : Composition symétrique du dialogue dans les tragédies d'Eschyle. *Journ. gén. inst. pub.*, 1860.

— *Ejusd.* : *Jahrb. f. Philol.*, 1859, p. 721 et seq.

Gust. Dronke. *Die religiœsen und sittlichen Vorstellungen des Æschylos und Sophokles.* 4er suppl. B. *Jahrb. f. class. Philol.* Leipzig, 1861, in-8°.

Chr. Herwig. *Ethisch-religiœse Fundament der Æschyleische tragœdie*; progr. Konstanz, 1878, in-4°.

Starke. *Andeutungen zu einer Æschyleischen Theologie.* 17er suppl. B. *Jahrb. f. class. Philol.*, 1851.

G. Hermann. *Opuscula.* Lipsiæ, 1827-39 : t. II, *De Persis*; t. IV, *De Prometheo soluto.*

Schœmann. *Der gefesselte Prometheus.* Greisswald, 1844.

— Ejusd. : *Opuscula academica.* Berlin, 1856-71 : t. III, *Vindiciæ Jovis Æschylei.*

Julius Cæsar. *Der Prometheus des Æschylus zur Revision der Frage über seine theologische Bedeutung.* Marburg, 1860, in-8°.

R. Westphal. *Prolegomena zu Æschylus Tragœdien.* Anhang, s. 207-227. *Prometheus*, trilogie. Berlin, 1869, in-8°.

Alexander Kolisch. *Der Prometheus des Æschylus nur zu verstehen aus der Eigenthümlichkeit seiner Entstehungsweise.* Berlin, 1876, in-8°.

Wecklein. *Studien zu Æschylus.* Berlin, 1872, p. 23 et seq., et *Prometheus.* Leipzig, 1878.

Th. H. Martin. *Prométhéide.* Etude sur la pensée et la structure de cette trilogie d'Eschyle. Paris, imp. nat., 1875. Extr. des *Mémoires de l'Acad. des insc.*, t. XXVIII, 2e p.

Nægelsbach. *De religionibus Orestiam Æschyli continentibus.* Erlangen, 1843.

Boyer. *Examen des Perses d'Eschyle* (thèse). Paris, 1837, in-8°.

Fried. Lübker. *Die Sophokleische Theologie und Ethik.* Kiel, 1851 et 1855, in-4°.

Franc. Peters. *Theologumena Sophoclea.* Munster, 1845, in-8°.

Pet. van Limburg Brouwer. *De ratione qua Sophocles veterum de administratione et justitia divina notionibus usus est ad voluptatem tragicam augendam.* Lugd. Batav., 1820, in-8°.

Georg. Jul. Heuser. *De numine divino apud Sophoclem.* Marb., 1844, in-8°.

Leonhard. *Uber einige Punkte aus Sophocles Tragœdien dessen frommen sinn betreffend*; prog. Rottweil, 1844, in-4°.

Phil. Ditges. *De fati apud Sophoclem ratione* prog. Köln, 1835, in-4°.

Car. Jos. Ehlinger. *De fati apud Sophoclem notione, indole, vi.* Berlin, 1852, in-12.

Hagemann. *De fato Sophocleo partic. altera*; progr. Bielefeld, 1858, in-4°.

Jacobs. *Sophocles* (t. IV) *et Euripides* (t. VI) *Nachtræge zu Sulzers allgemeine Theorie.* Leipzig, 1792-95.

Bouterweck. *Commentat. Soc. Gotting. rec.* 4, 1816-1818. De philosophia Euripidea sive de philosophandi generis quo Euripides suis in tragœdiis exornandis usus est fontibus ac ratione.

Fried. Lübker. *Uber die charakterischen Unterschiede des Euripides und Sophokles. — Verhandlungen der neunzehnten Versammlung deutschen Philologen zu Braunschweig* 1860. Leipzig, 1861.

— *Ejusd. : Beitræge zu Theologie und Ethik des Euripides.* Parchim, 1863, in-4°.

F. Zambaldi. *Euripides de rebus divinis et humanis quid senserit*; prog. Roma, 1876, in-4°.

Karl. Strobl. *Euripides und die Bedeutung seiner Aussprüche über gœttliches und allgemein menschliches Wesen. Ein Beitrag zur gerechteren Würdigung des Dichters.* Wien, 1876, in-8.

Dindorfii in integris tragicorum fabulis, Ahrensii, in *Æschyleis Sophocleisque*, Wagneri in *Euripideis* fragmentis numeros sequor.

PROŒMIUM

Quærenti qualis fuerit in Græcorum tragœdiis futurarum rerum vaticinatio, duplex observatur rei aspectus, pari studio dignus. Etenim agi potest aut de communi omnium *sententia*, quæstioque illa est crediderintne divinantibus tunc temporis Athenienses iique ipsi qui inter eos ingenio pollebant; aut de *arte* tantummodo, idque attendetur quomodo qualesque personæ vaticinantes a tragicis inductæ sint. Nullam rei partem omittemus. Unde tribus capitibus, quæ temporum ordinem sequentia ad tres tragicos pertinebunt, bene ut opinor *bipartita* conveniet *divisio;* primum in unoquoque videbimus, quantum id conjici potest, *quid poeta*, et quando id bono usui erit, *quid æquales illius* de divinatione *senserint;* deinde *quomodo quasque personas* Æschylus et Sophocles Euripidesque sive prave sive pulchre *induxerint.* — Quæ quidem partes ita cohærent, ut altera alteri auxilietur ejusque opem exspectet. Posteriori quidem inest major

recentiorum judicio gratia. Prior tamen necessaria fuit, firmoque adminiculo libellum fundabit. Nempe qui fieri potuit ut poeta non sententiæ suæ ipsum opus vel invitus accommodaret? Imo nos aliquando oportebit, ut ipsum fontem rei repetamus, de populari religione poetam interrogare; utrum ea contentus intra fines artis suæ se continuerit, an fidem populi impugnaverit, sive deos meliores optaret, sive philosophiam unam coleret. Conjecturis potius quam doctrinæ locum hunc patere nemo non videt. De priscis enim auctoribus quærere quod in æqualibus sæpissime ignoramus, quid est aliud quam Camarinam movere? Cautius igitur quam nostra memoria plures, quid de divinatione ac dis tragici senserint, studebo conjicere, non præstabo. Tamen qui attendet, eum ni fallor non fugiet quid in religione decursu ipso annorum immutatum sit, quid poetarum voluntate effectum; eorumque sententia plerumque adumbrari certe poterit, modo in totum rem aggrediamur, et remotis quæ personarum indoli respondent aut vulgi opinioni conceduntur, poetæ (non dico theologi) vocem ipsam, si quando resonet, in integris fabulis (1) deprehendamus.

(1) De omnibus fere fragmentis dici potest quod de uno (345) Æschyleo, Nægelsbachius (*De religionibus Orestiam*, etc., p. 34) : « quum ignoremus ea verba *quis* et *qua sententiarum continuatione* pronuntiarit, claris poetæ testimoniis nihil inde derogari potest. »

A divinatione non totam pendere tragœdiam quis negat? sed ars vaticinandi cum arte tragica amice conjurat. Si personis aliis, Agamemnoni scilicet et Œdipo, Creonti et Antigonæ Cassandra et Tiresias cedunt verecunde, tamen non ignave tertium aut secundum locum obtinent; nec parvi refert trium in una re *poetarum indolem* propriosque vultus describere, ac maxime in illo egregio vitæ atque ingenii Atheniensium speculo, *popularis religionis* primam ac recentiorem formam omnesque deinceps immutationes et quodammodo flexus atque orbes persequi. Nihil in hoc sæculo majore diligentia exploratum est quam veterum religio et si quid ei conjunctum fuit. Quæ fastidiebantur olim ridebanturque aniles fabulæ, nunc summa cura exquiruntur excutiunturque, quippe e quibus primam ac meram indolem gentis bene oculati homines latentem eruant. Rectius ac certe non sine maximo fructu de summa rerum illarum interrogabuntur optimi viri qui in unaquaque ætate aut in agendo aut in cogitando duces aliorum fuere, præcipue quum genere ipso illius artis non suam tantum, sed communem ac plurimorum certe æqualium suorum sententiam professi sunt. Nusquam enim magis quam in theatro constitui debuit populum inter et dicentis verba firma et constans concordia; atque in illa potissimum gente, quæ fuit, quam græca, et animo acuta et scænæ amantissima; unde illorum fabulæ singulorum temporum immu-

tationes plenius ac verius quam usquam alias expresserunt. Spero igitur non defuturos quos juvet *vaticinationem* et cum ea *deos populares* in Æschylo florentissimos, in Sophocle, quanquam speciosa veneratione ornantur, re nutantes, in Euripide ruentes cernere: altera autem parte in *personis* hujus generis *inducendis* nativam sublimemque artem Æschyli, exquisitam Sophoclis industriam, dramaticum et philosophantium more criticum Euripidis genus agnoscere.

Nolo rem actam agere. Itaque *de ipsa divinatione vel ejus generibus historiaque* consulat si quis velit optimos rei auctores Nægelsbachium (*Nachhom. Theol.*, chap. IV, § 5, p. 162 et s.) et K. F. Hermannum (*Lehrb. der Griech. Ant.*, § 37, p. 224). — Satis est priusquam ad tragicos venio, id unum legentem admonere; scilicet *quæ Pausaniæ* recentioris scriptoris *testimonio* inter μάντεις et χρησμολόγους *differentia affirmatur* (Nægelsb., *l. l.*, § 11, p. 173), eam apud scænicos vel ignorari, vel minorem sane inveniri. Furit quidem Cassandra; tranquillo animo præter subitam iram consistit Tiresias; sæpe omittitur signorum quæ sequitur vates et divinationis quam adhibet certa ulla mentio; Theonoe nescio quomodo novit omnia; deus est Prometheus; umbra Darius. In Aristophanis *Avibus* ne pusillum quidem μαίνεται is qui dicitur et ab aliis et a se (960) χρησμολόγος. Omnem igitur artem quæcumque sit ejus varietas, omniaque ejusdem una susci-

piemus genera, ne nimia discriminum cura res omnis solvatur partesque seorsum abstractæ magis obscurentur; et artificiosæ et naturali divinationi patebit hic idem locus, personasque omnes qualicunque natura introducemus quas in futuris rebus prædicendis occupatas videbimus.

DE VATICINATIONE

VATICINANTIBUSQUE PERSONIS

IN

GRÆCORUM TRAGEDIA

Τίς δὲ μάντις ἔστ' ἀνήρ ;
(*Iphig.*, *A.* 956.)

CAPUT PRIMUM.

ÆSCHYLUS.

In tragœdia patuit divinationi quam in ullo poemate *paratior locus*. Fuit enim quæ in vitæ imitatione et consuetudinis speculo apte describeretur futurarum illa rerum pronuntiatio, quæ in vera Græcorum vita adeo pollebat; neque mirandum esse potuit in scæna adesse, forma quidem ut vere loquamur speciosiore, hominum genus quod in templis et circulis triviisque omnibus occurrebat. Imo

religioni, cui velut stirpi hærebat tragœdia, serviebant poetæ quum divinæ voluntatis interpretes non omitterent, et in theatro quod assiduum hominum deorumque commercium repræsentabat, heroum cohorti adjicerent præclarum illum ejus in agendo suasorem et auctorem, τῶν μάντεων comitatum. Vates ibi non tanquam hospites peregrinantur, sed aut domum habitant suam aut tanquam contubernales alienam. Neque de mendacibus illis hariolis loquimur, *qui sui quæstus causa fictas suscitant sententias* (1); eorum quidem relinquebantur præstigiæ velut præda debita sannionum dicacitati aut festivæ comicorum audaciæ. In tragœdia vero quanquam maledictis vates non semel figuntur et mendaces avarique dicuntur, re nusquam fallentes falsique vel minima re inveniuntur; tantam ars illa, vel quo tempore infamiam in vita non effugiebat, in scæna gravitatem retinuit.

Illius autem quæ fuerit *ante tragicos* fortuna, quis etiam color, quæret forsan aliquis, nec materia, quanquam hic aliena videbitur, studio est indigna, nec plurimis paginis non sufficiat; sin autem de iis agetur tantum vatibus qui in poematis inducuntur, quæstio intra epicum genus coercebitur, cujus pars maxima Homero excepto desideratur. *In Homero* vero, ut hunc unum excipiam e quo velut largo ac perenni fonte defluxit omnis Græcorum poesis

(1) Ennius ap. Ciceron., *De div.*, I, 40, 88.

ipsaque tragœdia; satis sit animadvertere oraculorum nullam aut certe rarissimam mentionem fieri, signa vero a dis missa et plurima esse et tam clara ac manifesta ut servandis iis nullo peculiari interprete opus sit; *plurimum* autem *inter utrumque poema interesse* (1), quum illius quod inter homines deosque pæne naturale erat commercii genere, tum vatum numero et indole et quam faciebant fide. — *Iliadem* enim legenti occurrunt deorum tum epulæ, cœtus, sermones, tum discordiæ, pugnæ, vulnera atque vita omnis inter mortales acta. A dis quos somniavit Epicurus, hi quidem omnino diversi nunquam non agunt aliquid, et præter solum Jovem (Nægelsb., p. 136) in terra præsentes ad omne tempus sic curant mortalia, ut jam universus non quem volebat Cicero (*Leg.*, I, 7, 23) mundus, sed orbis terræ aut potius Troja, una civitas communis deorum atque hominum sit existimanda. Vatibus ibi vix est aliquis locus, quoniam ut alia, præclare agere, pugnare, canere, immolare, sic divinare regale est. Non plures igitur duobus vates invenimus, unum a Græcis Calchantem, qui arte sua contentus pugnandi laborem aliis relinquit; alterum a Trojanis Helenum, qui aliis ducibus non dissimilis quod suasit ipse perficit (ζ 75, ν. 576, 781, etc.); ac vel sermones deorum

(1) Comparatione illa sibi interdixit Nägelsb., *Hom. Theol. Vorr.*, p. IX.

protinus intelligit (η 44). Neque ex ira Agamemnonis (α 106) aut notissima Polydamantis objurgatione (μ 231 et s.) vere erui potest divinantium non esse maximam fidem. — *In Odyssea* terrarum orbis vacuus hominibus ac præcipue Ulyssi relinquitur; præter Neptunum Solemque Ulyssi infestos ac Minervam ejus fautricem, di omnes in sedem propriam se contulerunt ubi beati cessant et vitam agunt suam; unde vatibus, ne signa voluntatis divinæ pereant, opus est quam plurimis. Ergo vatem pars suum quemque habet, Liodem petitores, Halithersum et Theoclymenum Telemachus ejusque populares, Telemum Cyclopes (ι 508). Ne loca quidem iis carent quæ circa aut infra terram jacent; Tiresia umbræ, mare Proteo superbit suo. Necessariis et quotidianis opificibus divini comparantur (ρ 384 s.). Artificiosa enim facta est maxime divinatio; per se nunc viget et seorsum a ceteris vitæ occupationibus colitur. Quod non ei feliciter adeo cedit. Nequidquam enim vaticinantes ore majore ac vere interdum tragico (υ. 351 et s.) futura prænuntiant. Suspicionibus impediti, contumeliis mulctati, denique quales florente ac præsertim vergente tragœdia eos inveniemus, miseram sæpe vitam agunt, neque crimen illud avaritiæ effugiunt quo toties scæna postea resonabit. — Unde admonemur ne in re non omnino alia, diversa tamen diutius commoremur; sed ad tragœdiam ipsam properemus.

§ 1.

Quid de divinatione senserit Æschylus.

Tragici in vatibus inducendis formam sui quisque et animi et ingenii ita reddiderunt ut inde non ægre discernatur et temporum et hominum diversitas. Æschylus vero rerum divinarum quum prudentissimus, tum amantissimus, in variis vatum personis velut in commoda materia vim effervescentem pulcherrimæ naturæ suæ exercuit; aream illam sibi sumpsit in qua plures arbitratu suo exstrueret fabulas; descripsit homines quales monstrare credo non potuisset, sed vere sentiebat et intra se formabat; imo umbras evocavit et deo vaticinante totam implevit fabulam; quæ singula persequemur quum *genus ipsum poetæ* demonstraverimus.

Plurimi nostra memoria auctores illam Æschyli quam dixerunt *theologiam* summa cura describere conati sunt; sed cura ipsa iis, ut mihi videtur, nonnunquam obfuit. Quam enim quærebant doctrinam sæpe ipsi fecere, sive uno alterove versu fragmentove abuterentur, sive nonnulla ab Æschylo nusquam prolata e reliquis colligere confiderent. — Ex tragicis quidem huic potissimum sane debetur maxime in divinis rebus auctoritas; quippe cujus ætas sophistarum argutiis intacta fuerit; sed

neque ullam de divinis rebus doctrinam professus est, neque quod plurimi vel apud veteres opinabantur fuit Pythagoricorum (1) vel orphicorum (2), ut opinor, discipulus (3). Credendum omnino *nullam ei placuisse sectam;* legendusque est ille velut *pius vates* (4) qui tradita quantum potuit retinuit, non pauca correxit, plurima sese ignorare nec ægre tulit nec dissimulavit (5); et mediocritate doctrinæ contentus, patriæ amans ejusque religione, legibus ac laude, imo præsertim ingenio suo fretus, in solo quanquam interdum lubrico pulcherrimas fabulas, quod fuit ejus proprium opus, felicissime fundavit. Nec nos fallat vel illa *plurimarum rerum ignorantia* quam admiramur, æqualibus suis, qui nihil subtile in illis rebus quærebant neque quidquam utile aut necessarium se fugere opinabantur, Æschylum præivisse; nescire aliqua scientia quædam in illo fuit. — Quod si poetæ indolem laboremque proprium adumbrare volemus, apparebit simul illius

(1) Cic., *Tuscul.*, II, 10, 23. Conf. Haym., *De rerum divin.*, p. 15 et s.; et Dinges, *De div.*, p. 7. Contra Athenæus, VIII, 347, E, φιλόσοφος δὲ ἦν τῶν πάνυ ὁ Αἰσχύλος.

(2) Haym., l. c., p. 20. Bouterweck, *De justitia fatali*, p. 26 et s. Contra Girard, *Sentim. rel.*, p. 411 et s., et notam, p. 529.

(3) Deesse apud Æschylum illam quam multi quærunt disciplinam, notant Dronke, *Vorstell.*, p. 56, et Bernhardy, p. 248 et 260.

(4) Nimius est sine dubio Haymius quum (p. 60) religionis infimam apud Æschylum conditionem dicit eamque totam ex poesi pendere.

(5) Bernhardy, *De Prometheo fabula*, p. 269.

et *modestia* et *audacia*; nulla enim in eo certe fuit harum virtutum inter se discordia. Quum antiquitatem ingenue aut sequeretur aut sequi vellet, poeta nullum prudens excessit in religione modum, et de dis plura quæ temeraria putamus, pietatis causa ausus est. — Primum quidquid de dis dictitabant, *non timide* scrutatus est; et si quid deterius occurreret, vel altius meditando explicare, vel aliqua causa licet nunquam antea expressa excusare solebat; suspectas de dis historias carpebat libere (1); ubique autem agendæ rei vel rudi ut ita dicam moli spiritum, quem ex intima mente hauriebat, intus addebat, quo fabula mire ac nove movebatur (2); vel ad caliginem antiquissimorum temporum et primam cœli novitatem respiciens, ecquod jus gentile aut civile apud deos illos natura constitutum aut eventu maximi omnium belli factum esset, quid etiam iis cum humano genere intercederet, quænam in moribus regula et optanda esset et edicta fuisset, admirabili studio, admirabiliore etiam audacia disputabat. Imo numen præsens favensque bonis, in malos sæviens, dum quærebat, in ea ipsa quæ videtur fortuna inveniebat (3); nec

(1) *Eumen.*, 641 et s. Jovem tamen attende non ab hominibus sed a priscis deabus argui.

(2) Vide Dronke, l. l., p. 20.

(3) Id fatentes facit in Persis *nuntium*, 497; in Agamemnone *chorum*, 369, et *Ægisthum*, 1577.

tantum abfuit quin deum unum omnium rerum moderatorem summarumque legum servatorem in Jove (1) aut in novo et ignoto numine agnosceret (2). — Sed non obscurus quem servavit in ipsa audacia *modus*. Quum enim historiarum priscarum vitia notaret, nunquam veteratoris in calumniam et argutias prolapsus est, nec statim damnabat quod non intelligebat. Vel in iis quæ negavit maxima patet in diffidendo verecundia. Ut sincere liber, sic fuit pie incredulus. Non summum illud numen a dis patriis sejunxit, neque eorum fastidio ad novos adventitiosque, ac velut adscriptitios cœli cives avolavit; illos contra patria seque dignos judicavit, et simulatione nulla veneratus est, nec indigno verborum ornatu vel maximos sæpe induxit (3).

(1) Vide Dronke, *Vorst.* p. 55. Sed confer in eodem, p. 10, *extr.*

(2) Afferuntur de re *Agam.*, 160 et s., et *Supp.*, 524 et s.; de quibus locis vide postea sub finem hujus particulæ. Laudatur etiam frequentissime fragmentum incertum (Ahrens, 345; Dind., 295) quod servavit Clemens Alexand. *Strom.*, V, p. 603. Ζεύς ἐστιν αἰθὴρ κ. τ. λ. Illud autem abjudicat ab Æschylo Klausenius, p. 70, n. 97; cum quo facit Bodeus, *Hell. Dichtk.*, III, p. 274, n. 9. Inde nihil probari defendit Naegelsbachius, *Nachhom.*, p. 138, et Dronkeus, *Vorstell.*, p. 14. Id attribuit Euphorioni Wagnerus, *Fragm. poetar. tragic.*, *Did.*, p. 63. Vide etiam Naegelsbachium., *De relig.*, p. 34. — Præsertim confer fragmento locum spurium ab eodem clemente allatum: Ahrens, *Fragm. Æschyl*, frg. 466, v. 4.

(3) Atqui *Jovem* ipsum sine dubio in Ψυχοστασία ac fortasse

Nihil ex iis quæ proposuit, quantumvis sit magnum et excelsum, ex populari primum fonte non hausit, aut aliquo vinculo patriis dis aut fabulis non religavit (1). Sic Æschylus quam qui maxime fuit dignior qui sanctorum illorum poetarum quos divino numine afflatos dixit Plato (τῶν ποιητῶν ὅσοι θεῖοί εἰσιν, *Meno.*, 81, b.) in numerum reponeretur.

Sin autem ab eo petitur rerum divinarum *certa ac descripta ratio*, vereor ne sæpius ubi nihil ab eo expressum sit, frustra omnis suscipiatur labor, neve ipsa ejus sententia corrumpatur. Æschylus enim meditando artem suam extundebat, non religionis scientiam vel traditam exceperat vel æquales velut discipulos docebat; nec tenuit, nec desperavit ille omnem veritatem; rerum potius opinator et investigator fuit quam magister; et Euripidis cetera omnino dissimilis, eo certe non est dispar, quod plus quæsivit quam sibi invenisse visus est. — Nec mirum si nutavit ibi interdum aut parum sibi constitit optimum illud ingenium, quum insuperabilibus nodis impeditum

in Promethei partibus deperditis (V. Haym., l. l., p. 24), qui quidem fuit in unius Æschyli fabulis inductus (Cf. in Vita Æschyli extrema [Dindorf., t. III, p. 8], καί τινες ἤδη τῶν τραγωδιῶν αὐτῷ διὰ μόνων οἰκονομοῦνται θεῶν, καθάπερ οἱ Προμηθεῖς); — et *Aphroditen* in Danaïde, fr. 108. — In Thressis autem, fr. 155, *deus* Ajaci ostendit quo loco se gladio ferire possit.

(1) Vide Dronke, p. 54.

morum regulæ accommodare ea studeret quæ physicam rerum naturam exprimebant (1), et in bruta materia animum, id est in bello pacem inquireret. Sane omnino desiderandus est, velut illarum rerum thesaurus, liber quem Glaucus Rheginensis, Democriti æqualis, de Æschyli τοῖς μύθοις scripserat (2). Tamen nescio an non valde plura in eo essent divinarum rerum auctoris quem fingunt, quam simplicis illius quem habemus amamusque poetæ.

Sed de universitate religionis hactenus. Non equidem in monstratum et a me designatum (p. 5 ext.) offendam scopulum; neque hic recensebo quidquid de diis docuit Æschylus; quod qui desiderat diligentissimum adeat Klausenii opus. Sin malit harum rerum rationem ac processum persequi, optimam legat Dronkei dissertationem (3). *Partes autem duas* a ceteris eximam, et quia maximi momenti sunt definiendas curabo; quæram hinc primum quam *dis in imperando potestatem*, dein quam *hominibus in agendo libertatem* constitutam Æschylus putaverit. A posteriore, quæ brevius exponi potest, quæstione si placet exordiemur.

Crebro id usurpatum est in Æschyleis fabulis irrevocabili divina atque humana cursu vehi, mentemque hominis voluntate libera spoliatam *ea necessitate*

(1) Nägelsb., *De relig.*, p. 44.
(2) Welcker, *Trilog. Prom.*, p. 485.
(3) *Vorstellungen* u. d. a. Vide indicem.

fati devinciri, omnia sic currentibus fusorum staminibus decerni, ut actores, quum pæne nihil aut certe parum in iis situm sit, vel maximorum scelerum vix aliquam pœnam debere videantur (1). Quæ opinio et singularum tragœdiarum pluribus locis et universa servatarum indole non ægre redargui potest. Restituit quidem solida et dilucida dissertatione (*De religionibus Orestiam continentibus*) Nægelsbachius liberam hominis in agendo voluntatem (2) illamque velut post longum exsilium justo postliminio in Æschyleam tragœdiam redintegravit ; numen deorum ac providentiam certiorem in iis stabilivit, fatum vero quod, neglecto Aristotelis silentio, in hoc regno olim dominari dictitabant, extra scænam ac maxime extra personarum mentem relegavit, sive in eam partem rerum adventitiarum quibus homo non inservire nequit, sive in aliquot historias unde tragœdia, paulisper illic ad stirpem velut enutrita, mox proprio incremento adulta in solum liberius erumpere purioresque in auras surgere properavit (3). Eamdem sententiam pluribus exemplis ar-

(1) Patin, t. I, 37. ... Quelquefois les personnages d'Eschyle se laissent emporter à des actes d'une cruauté forcenée, sans qu'*on puisse voir bien clairement* s'ils obéissent à la violence de ou à l'impérieuse volonté du destin. Quoi qu'il en soit, *leur liberté morale est enchaînée*...

(2) Confer. Dinges, *De divina rerum*, etc., p. 1, 9, 10, 16, ext., et Bernhardy, t. 3, p. 248.

(3) Idem auctor scitum Bartholomæi nostri (chap. 71. Ed.

gumentisque et pari diligentia, vi etiam majore defendit Dronkeus (§ 8; p. 25, *extr.*; p. 34 et s.). — Ipsum vero poetam audiamus. *Loci* quibus liquet Æschyli judicio libertatem agentis, ne si id asserant quidem fidenter homines, ullius unquam numinis potestati emancipari, hi sunt præcipue : in *Agamemnone* versus 218 et s., ubi non dubitat chorus patri impio, scelestæque laudis avaro filiæ immolationem culpæ dare; in *Choephoris*, v. 910 s., ubi fati excusationem simillima ultionis defensione Orestes refutat, argumentique id genus omne elevat; in *Persis*, v. 742 s., ubi fatetur poeta quamplurimos quidem et patriæ et sibi nocere atque imprudentes deorum iram ad ipsos juvare, sed vel in istis fatalis fortunæ vinculis libertatem peccantibus suam vindicat, eosque contendit dementia propria in exitium ruere; at præcipue in *Agamemnone*, v. 1497 et seq. Ibi mulier nullius confidentiæ expers scelus a se in dæmonem gentis studet avertere; qua vi illius impudentiæ repugnat chorus, verissimus hic poetæ interpres ! Ut impiam, ut insolentem excusationem rejicit; scilicet domui instituisse ἀλάστορα; illam vero ei locum, arma, manus suppeditasse; quomodo tandem innocentem se jactare posset? — Admonuit etiam prudenter recens scriptor (1) alia Sophoclem, alia Æschylum

Hachette, in-12, 1860, t. 3, p. 121) de personarum voluntate judicium recordatus est : « *Ils raisonnent comme s'ils ne pouvaient rien; ils agissent comme s'ils pouvaient tout.* »

(1) Herwig., *Ethisch-religiœse*, etc., p. 15 et s.

oracula referre; in illo deum ita respondere ut nullum relinquatur vel invito et innoxio pœnæ scelerisque effugium; in hoc quæ canuntur ita concipi, ut scelus ostendant, non innocentiam omnem præcludant; hominem non ante damnent quam sua se ipse culpa sit damnaturus (1); imo solere ea non ad certum tempus neque ad certam personam dirigi (*Pers.*, 739 et s.), ut eventus et facta non minus hominis quam deorum vere dici possint; Oresti vero (2) si dira lege mandata sunt quæ non exsequi nequeat, id a poeta non incaute factum unde crimen postea facilius dilui possit. Ergo quos sibi fingit Æschylus, di rebus humanis consulunt, non vitam humanam vivunt; multa suo arbitrio vel prospera vel contraria, sed peccantem neminem invitum faciunt. Scelera igitur nostri arbitrii sunt et nobis omnino eluenda. — Fuit ut opinor abunde satisfactum huic quæstioni; scimus quid efficiat homo; *quid di possint* videamus.

Ut fati potestatem in hominibus studebant antea quam maximam constituere, sic eam nunc nonnulli in dis elevant atque ita tandem tollunt funditus ut di aut *Jupiter* certe dicatur *nulla superiori lege coerceri.* Liquet sane Homeri (Il. Θ, 69 s.) et Æschyli (*Supp.*, 822) ipsa comparatione (3) fati apud utrum-

(1) Cf. in utroque poeta Laii fabulam. V. *ibid.*, p. 16.
(2) *Ibid.*, p. 18.
(3) Vide Dronke, p. 9. Cf. Limburg Brouwer, *De ratione*

que idem esse nomen, vim autem omnino aliam; imo Æschylum quantum potuit fata, justitia velut firma auxiliatrice adjuncta, enodare (*Agam.*, 68, ἐς τὸ πεπρωμένον. — *Choeph.*, 644, δίκας δ'ἐρείδεται πυθμήν· προχαλκεύει δ'Αἶσα φασγανουργός), et Αἶσαν Δίκης ministram et telorum artificem nominare. — Vereor tamen ne speciosa magis quam vera recentioribus placeant, quum certam de re doctrinam quærunt in poeta, et verbi causa fato Jovem nullo modo apud Æschylum inferiorem esse contendunt. Laudant sane deum quem Supplices summa fiducia testantur; et duos versus Eumenidum afferunt : 1045, Ζεὺς ὁ πανόπτας οὕτω Μοῖρά τε συγκατέβα. — 392, Θεσμὸν τὸν μοιρόκραντον ἐκ θεῶν δοθέντα τέλεον. Inde omnia putes inter Parcas et Jovem convenire. Quomodo vero tali sententiæ *Promethei* versus (515 et s.) (1) et omnem fabulam accommodabis? Totum ordinanti parum est ex particula decernere. — Ista quanquam omnino diversa, confidunt tamen se quoquo modo conciliare posse. Aut in *Prometheo* soluto ea refutata esse confirmant quæ in vincto legimus, et deperdita prout placet describunt; aut nodum isto modo explicant : Jovem Æschylum ita Parcis infe-

qua Sophocles, p. 32 et s., et, quanquam non mecum facit, Pabst, *De diis*, p. 21 et 25.

(1) Χ. τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος;
Π. Μοῖραι τρίμορφοι μνήμονές τ' Ἐρινύες.
Χ. τούτων ἄρα Ζεύς ἐστιν ἀσθενέστερος;
Π. οὔκουν ἂν ἐκφύγοι γε τὴν πεπρωμένην.

riorem putare ut ipsam suam ipsius indolem abjicere et effugere nequeat, Parcas contra ita potentiores ut Jovi ipsi etiam naturam assignaverint (Klausen, *Theol.*, p. 40); ceterum ubi Saturnus illi conciliatus fuerit, Parcas nihil jam agendum habere nisi quod Jupiter jusserit (p. 43, ext.). Quam spinosa et contorticula illa conclusiuncula! Cujus quid ipse poeta docuit? Nihil fere; sed ea subtilissimus interpres excepit, sejunxit, disputavit, legentemque ratiocinando eo duxit ut mox non Æschylum, sed Senecam (1) audiret. Quanto melius ea dumeta in quæ correpunt vitabuntur, si fateberis veterum atque ipsius Æschyli de fato opinionem ancipitem fuisse, atque illud sæpius sane Jovi ceterisque dis subjectum dici, interdum tamen præpositum, nonnunquam etiam (idque non invitus opinor sapientioribus placuisse) cum iis confusum (2).

Non aliter defendi, si locus esset, ostenderem, quem sive Θεόν sive *Jovem* Æschylus appellat, non Saturnium illum esse, forma humana; humanisque vitiis deformatum, sed omnium hominum deorum-

(1) *De benef.*, IV, 8, 3. *De provid.*, 5, 6, etc. — Confer. Schœmann, *Gefess. Prom.*, p. 111, not. 19, qua extremis verbis concedit nihil certum de ea re apud veteres inveniri. Tamen idem p. 38, n. 19, pari atque Klausenius sententia utitur. Ea aliter quamvis æqua subtilitate explicat Starkeus *Audeutungen*, etc., p. 417 et s.

(2) Nägelsbach, *De relig.*, p. 3 : qui locos Æschyleos indicat. Cf. Dinges, *De divina*, etc., p. 20.

que moderatorem ac dominum, ab *omni labe* sive animi seu vitæ anteactæ *integrum*, solum sanctitate et justitia ornatum, neque ortum ab alio, sed *æternum*, cetera sustinentem omnia, *se uno fretum*. Admirabilis sane in ethnico auctore sententia! Grave est quum ad id demonstrandum locosque laudandos ventum sit, afferri tantum truncatum quidem et male attributum spuriumve fragmentum (345); in integris autem fabulis, locos duos quibus perfectus ille Jupiter ibidem plane et Saturni filius et Epaphi pater nominatur (*Agam.*, 160; cf. 167 et s.; *Supp.*, 524; cf. 535); denique contrariam omnino esse huic interpretationi Promethei vincti illam fabulam, tot librorum tantorumque inter doctos certaminum causam, in qua, quodcumque in sequentibus adjunctum sit, tamen non modo natum deum habemus, sed regno ut Cyrum aliquem paulo ante potitum et a pugna recentem, in hostes, imo in veteres amicos regio more si quid abnuant sævientem.

Sed ad *divinationem* ipsam veniamus. Fuit ei in Æschyleis sane fabulis quam in ullo recentioris ætatis carmine locus aptior. Ubi di omnes Jupiterque ipse tanquam in domicilio agebant et coram sæpe loquebantur, necesse fuit *fides et auctoritas summa* haberetur eorum et oraculis, et interpretibus quorum ex ore pendent omnes seque præbent audientissimos. Nulli prodigio non creditur. Stupent magis Argivi senes quod Cassandra in se furit (*Agam.*, 1083) quam quod divinitus afflata est.

Darium præsentem non quia ex inferis in terram elicitus est, sed ob priscum, quo se etiamnum affici fatentur, regis horrorem Persæ expavent (1). Non quidquid in Eumenidum fabula agitur, opus est explicare. Ut philosophi recentioris ævi sed illi longe alia causa spectatores ipsis in miraculis nihil fere mirabantur.

Quo amplior ista proponebatur poetæ quasi quædam supellex, eo major fuit ejus et in excogitando *audacia* et in inventis *diversitas*. Hic enim non modo in omni genere signa omnia servantur, *oracula* (*Prom.*, 662, 669. *Septem.*, 844. *Pers.*, 739, 801. *Choeph.*, 269, 900, 1030 et s. *Eumen.*, 4 et s., 235, 465, 616, 713 et s., 797), *somnia* (de somniorium totiusque divinationis scientia *Prom.*, 485 et s. *Choeph*, 33 et s. *Pers.*, 176. Conf. Girard, *Sentiment religieux*, 461 et s.), *auguria* (*Agam.*, 1653. *Pers.*, 205), *fortuita verba* (*Agam.*, 1653), denique *portenta omnia*, ut si per deos liceat mala prorogentur (*Pers.*, 217, 741. V. Dronkeum, p. 59, extr.), ac certe voluntati deorum vita nostra accommodetur; sed maxima diligentia ii audiuntur qui voluntatem illam ipsi aperiunt. Horum fecit Æschylus et firmam dignitatem et varietatem egregiam. Vates quidem in hisce fabulis non modo nihil abjectum aut mediocre curant, æquitatem et salubrem clementiam defendunt, sed et in

(1) Roux, *Merveilleux*, etc., p. 11 et 75. Confer in Herodoto *Melissæ* evocationem narratam in concione (V. 92, 7).

agendo et in cogitando aliquid retinent spirantque etiam plus quam humanum. Quod chori visum est postea officium, bonis favere, regere iratos, deos testari, id hi semper agunt ore grandi ore, constanti audientium admiratione atque invicta ab omni suspicione semper fide (1). — Fuit etiam maxima quæ difficilior vel primo intuitu videtur, et interpretum et ipsius interpretationis *varietas;* nam præter notum illum Calchantem (quanquam ipse non inducitur) furentem virginem habemus, vaticinantemque umbram et ipsum magnam fatorum seriem explicantem deum, ita ut hic etiam virtutem propriam quam veteres jam in eo admirabantur (2), poeta omnino retinuerit et in hoc horto omnia circumvolitaverit thyma. Suum autem cuique personæ servavit habitum et os dignum numine divino præbuit; verba aut impetu incendit aut majestate quadam commendavit.

Imo dici potest in nulla Æschylea fabula deesse personam quæ significet futura; ubi enim vates aliquis non inducitur, quasi ne qua non intercedat deorum providentia, fit *chorus* divinæ voluntatis interpres; quæ divini, si adfuissent, pronuntiassent, præsentit ipse ac timet vel optat, nec tam legibus humanis quam deorum consiliis studet esse ob-

(1) Paulisper in Agamemnone diffidit vaticinanti chorus, sed mox totum ei se docilem præbet.

(2) Denys Halic., III, p. 314, Ed. Gros : Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους, καὶ ποικιλώτερος ταῖς τῶν προσώπων ἐπεισαγωγαῖς.

noxius. Sed ad singula properemus quibus melius hærebimus quam in universo genere tamdiu commorabimur.

§ 2.

Cur quomodo et quales inducantur Darius, Cassandra, Prometheus.

Tamen ante quam de tribus maximis quæ inducuntur personis disseram, præmittenda aliqua de iis quæ in *fragmentis* ad vates quosdam aut ad omnem divinationem pertinent.

Quidquid tale esse ex uno fabulæ argumento conjicitur, negligo (1); alia vero quum paucissima sint, satis erit notare. Prædictiones videmus fuisse et Promethei (2) in *Prometheo* soluto (f. 72 et s.) et Glauci in *Glauco* marino (f. 127 et s.). Dicitur Apollini oracula sua Jupiter mandare (f. 225, *Sacerdotes*). Illum accusat de filio Thetis (f. 145, *Psychostasia*). Bacchus autem deridendi causa nominatur a Lycurgo (f. 9, *Edoni*): ὁ μουσόμαντις. Divinus furor gravidæ Semeles fingebatur (f. 199, *Semele*). Denique de ominibus et auguriis vide f. 28, *Lycurgum*, et f. 118, *Cabiros* (3).

(1) Verbi causa vide de *Amphiarao* in Thebaide (Ahrens, p. 225 a.), de *Proteo* (p. 254), de oraculis et *Acrisii* in Perseide (p. 244), et *Telephi* (p. 246) in Telepho.

(2) Numeros ut dixi *Ahrensii* sequor.

(3) Fragm. 162, *Ajacis Locri* omitto, quod melius ad Sophoclis Ajacem refertur.

Tiresiæ vix nomen invenimus ejusque augu-riorum rationem (*Sept.* 24). *Amphiarai* in eadem tragœdia indoles describitur ; quem ut arte, sic prudentia ac moderatione et animi et incessus præstantem aliis omnibus vel hostes admirantur.

Occurrunt tandem velut egregius vaticinantium triumviratus, *Darius*, *Prometheus* et *Cassandra* qui in prima (1) aut in secunda (2) fabula totius trilogiæ summam grandi oratione explicant.

DARIUS.

Hic tandem tanquam velis passis navigare possumus.

Tetralogia cujus fuerunt *Persæ*, vatibus quam quæ maxime abundabat, quoniam vates unus in una quaque fabularum inducebatur, *Phineus*, *Darius*, *Glaucus* (3), *Prometheus*. In *Dario*, quem solum habemus, describitur egregium vaticinantium umbrarum exemplar, et ut ab optimo auctore (4) jure dictum est, tot inductarum omnium una, quæ vere loquatur et paulisper reviviscat.

Persarum tragœdiam si quis brevi definitione com-

(1) Cassandra ac Prometheus. Hujus fabulæ de loco, V. Th. H. Martin. Ceteris secunda videtur : Bernhardy, p. 276, *Animadv.*).

(2) Darius.

(3) Contra Welker *ap. Bernhardy*, p. 287.

(4) Patin, I, 236.

plecti velit, merito dicat in hujus tragœdiæ partibus duci quodammodo de Xersis fuga, et exercitus clade ingentem luctum aut ut aiunt Græci θρῆνον (1) variis expressum modis. Præmetuitur primum a sollicita civitate clades, mox repræsentatur reginæ somnio, dein consternatis omnibus a nuntio describitur, postea cladis alterius augurio aucta fit gravior, denique ab omnibus et ipso Xerxe auctore ac teste illius deploratur. Summam rei scæna de qua agimus continet. Cujus primum utilitati, dein indoli studeamus.

Fateor primum non satis a me intelligi quomodo de *utilitate* ejus unquam dubitatum sit. Quantum enim ad Græcorum, imo ad cujuslibet legentis judicium pertinet, falli videntur omnino qui eam partem tragœdiæ ad pompam spectaculi spectare, minime vero vel minus in totum proficere contendunt, mirorque præclarum judicem (2) optimæ parti hærere solitum hic opportuno loco cedentem multum inclinasse. Non equidem unus sum ex triariis ad quos rem aiunt redire; sed quanquam levi quodammodo armatura et alienis merens auspiciis, rationem scænæ quam video breviter describam (3).

(1) V. Patin, I, 238, ac præsertim Girard cui et multa alia de Persis et illam definitionem debeo. *Sentiment religieux*, 476 et s.

(2) Hermann., *De Persis. Opuscula*, 2, p. 97.

(3) Mirum est de illa Rappi (*Geschichte des Griech. Schauspiels*, Tubingue; 1852, p. 46) judicium : Die nächstfolgende Scene

Ex nuntio nuper auditum erat quanta fuisset clades, quot hominum et quantæ infamiæ; mox ubi rex inducetur, is erumpet dolor quem nullus superare possit. *Medius atque opportunus hic locus* fuit, quo vir supra humanam naturam evectus, caliginem rerum discutiat et tot malorum causas grandi ore pronuntiet. Quemadmodum Neptunus ille Virgilianus magnos inter ponti tumultus summa placidum caput unda effert fluctusque componit, sic rex antiquus is fuit qui pietate meritisque gravis, sed non adeo graviter commotus, melius quam quilibet alius, exasperatos luctu animos aliquandiu placaret, neglecta edoceret, divinam voluntatem interpretaretur. — Imo illa scæna fit quoddam actionis genus, quæ nulla foret profecto si a narratione protinus ad chori Xerxisque dialogum velut a carceribus statim ad calcem statim deferremur. Hac futuræ cladis pronuntiatione præsens prorogatur; pristinorum oraculorum memoria pleniore omnia luce circumfundit; ea ipsa quæ nuper narrata sunt, quando a senibus repetuntur et luctuosa iterantur vestigia, dolor altius animum penetrat, ita ut civium ac regis querelis paulo post non gravemur theatrum omne incendi. — Æschyleæ autem artis fuit duplicem victoriam, quæ velut recentior quam ut scæna digna sit, jam in longinquam

lässt sich aber ästhetisch auf keine Weise rechtfertigen und ist ganz entschieden schwach; u. d. a.

oram erat translata, longius etiam ac pæne usque ad inferorum regionem removere, ac præcepta justitiæ ac pietatis quibus tota fabula nititur, defuncti regis ore commendare. Ergo non quam sæpe visus est, tam re temerarius fuit idem auctor a quo nuper defecimus, quem nunc auctorem libenter sequamur (1), quum æstimaret hac scæna verum finem exitumque actionis perfectum esse; quæ sequuntur non alio modo addita esse nisi ut dolor primum qui Dario præsente coercebatur, Xerxis adventu ad largius erumpendum provocaretur; præterea quidquid animis plane perceptum esset, sensibus etiam atque oculis monstratum obversaretur.

Quod si *personarum* ordinem atque indolem animadvertes, factis quidem studiisque et dolore consentire eas videbis et omnes, « quod quidem ad actionem attinet, unius personæ loco esse (2); » tamen vi ac prudentia mentis, vitæ inconcussa dignitate et summæ laudis memoria, denique omni fulgore suo omnes prægravare Darium, imperii conditorem, deorum interpretem, dei ut spectantibus videtur simillimum (635), verum Persis deum (620, 641, 644); unde fieri potuit ut contra morem umbrarum illa maxima vel sola oratione ageret omnium maxime.

Quod si non judicio nostro contenti *Atheniensium*

(1) Hermann, l. l.

(2) Hermann, l. l., p. 93.

sententiam desideramus, celeberrimo Aristophanis versu (*Ran.* 1028) : ἐχάρην γοῦν ἡνίκα κτλ, et vita Æschyli qualis est in M.S. Oxoniens (Dind. III p. 6, τὴν ὄψιν τῶν θεωμένων κατέπληξε — εἰδώλοις) evincitur veteres adnotasse et quam felici audacia Æschylus umbris inducendis spectantium commoverit et conterruerit animos, et quæ fuerit in omni fabula hujus potissimum scænæ admiratio. Vaticinationis utilitati satisfactum.

Quod si ad *ejusdem indolem* veniemus, mirabimur primum omnia quæ apud posteros velut talium rerum *instrumenta* proferuntur et prodigium veri similius faciunt, ab illa removeri; reginam tantum inferias quibus conjugis manes elicere studet, verbis admodum poeticis (611 s.) enumerare; jussuque illius chorum et cantu et terræ plausu umbram vocare. Nihil amplius. Ne noctis quidem specie aut crepusculo quodam umbra adjuvatur ; in lucem inter Persas procedit sola se freta. Sed non causa rei diu attentum fallet ; neque audax illa, ut recentioribus videbatur, negligentia excusationibus egebat (1) quæ a pluribus sunt propositæ. Etenim nullum propria arte opus fuit, ubi *nihil mirum* ipsis agentibus fieri videbatur ; sive alia causa, sive morem cousuetudinemque gentis hic retinerent. Quum Darius e sepulcro egreditur, chorus et antiquæ venerationis memoria

(1) Patin, I, 234.

(694, σέβομαι μέν... σέβομαι δέ... ἀρχαίῳ περὶ τάρβει. 700, δέομαι μέν... δέομαι δέ... 703, δέος παλαιόν σοι φρενῶν ἀνθίσταται) et respondendi difficultate ne infausta referat (702, λέξας δύσλεκτα φίλοισιν), nequaquam vero ut videtur propter subitum metum sermonem fugit. Cum Dario placide colloquitur regina Atossa; nemo umbram adesse aut loqui stupet. Nullus extrinsecus additur adventitius color, sed verior qui ex loco, ex rebus, ex personis ipse ducitur; quo quidem nulla machina, nulla admonitione agentis intermixta, tota hæc scæna oblita est.

Istud quidem vaticinationis genus rem Asiaticam non dedecebat; vide tamen *qua cura*, si quid novum aut asperum forte fuit, *poeta* admonendo aut componenda fabula *temperaverit*, ut omnia plana tersaque simul ac grata fierent. Non enim subita occurrit umbra illa, sed a spectantibus provisa necnon a personis exspectata et vehementer optata. Vidit Darium in somno regina (197); Dario vel ante nuntiatam cladem piacula afferrentur suasit chorus (219). Quemadmodum Xerxis advenientis squalorem (1019, ὁρᾷς τὸ λοιπὸν τόδε... τᾶς ἐμᾶς στολᾶς) præparat scæna altera qua simpliciore ornatu procedit Atossa (607, κέλευθον τήνδ' ἄνευ τ' ὀχημάτων χλιδῆς τε τῆς πάροιθεν), sic somnium ipsum et omnia quæ eadem refert, nihil aliud nisi ipsam Darii vaticinationem prænuntiant. Loco utrique alter suppar est et respondet. Imo nonne id prænuntiabat qui spectabatur et in scæna et quodammodo in rebus

medius regis tumulus? Quod si parentem imperii orare placeret in incerto periculo (220), quanto magis hoc retinendum fuit in præsenti rerum iniquitate, quum a pristino illo victore uno mali remedium exspectari posset (631, εἰ γάρ τι κακῶν ἄχος οἶδε πλεόν, μόνος ἄν θνητῶν πέρας εἴποι, Cf. 787 et s.)! Imo nonne id necessarium fuit in fabula quæ tota utriusque regis rerumque ab utroque actarum contrarietatem sonabat, hoc fundamento innitebatur, ideoque ab altero feliciter et præclare facta referebat ut alterius imperium ac cladem infamaret (1). — Ergo priori chori carmini (532 s.) statim fere posterius (623 s.) additur, quod in tragœdiis admodum raro fieri solet attentumque animum facere debuit; imo in hoc carmine et musicis sane quos ignoramus modis, et ipso totius genere quod mire plenum interrogationibus mixtos græcis barbaros (635, Βάρβαρα... τὰ παναίολ' αἰανῆ δύσθροα βάγματα Cf. 687, ψυχαγωγοῖς ὀρθιάσοντες γόοις) habet et mores et voces et deos, admonebatur spectator novum aliquid mox esse proponendum. — Nec legentem vel nunc fugit omnino quali habitu Darius Atheniensum ora converteret; stabat quidem tumulo egressus et toga tiara calceisque agnoscendus, vestitu Asiatico et ornatu regali spectabilis (659, ἔλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυμβον ὄχθου, κροκόβαπτον ποδὸς

(1) V. Girard, *Sentiment religieux,* p. 480. Cf. v. 554, 652, 709, 760, 781, 784 et s., 852, et πάτηρ ἄκακος, 664, 672, 855.

εὔμαριν ἀείρων, βασίλειόν τιάρας φάλαρον πιφαύσκων), Persas jacentes (686, ὑμεῖς... ἐγγὺς ἑστῶτες τάφου) ipsamque uxorem subsidentem (684, λεύσσων δ'ἄκοιτίν τὴν ἐμὴν πέλας τάφου) interrogabat; quæ quum una respondere auderet, gravior fiebat scænæ totius sonus, patre et matre una describentibus adversa filii fata.

In vaticinatione multa invenimus quibus servatur *Homerici carminis* color, ut illa quid possint quæve fas sit effundere libamina (219, 610 et s.), quæque mortuis accipiantur (685, χοὰς δὲ πρευμένης ἐδεξάμην); pulsu terræ illos elici (683, στένει, κέκοπται καὶ χαράσσεται πέδον); sed ad auras superas non facilem patere reditum (688, ἐστὶ δ' οὐκ εὐέξοδον); Darium vel primo ingressu orationis, τῆς νεκυίας umbris simillimum, pæne omnia ignorantem admiramur (715, τίνι τρόπῳ; λοιμοῦ τις ἦλθε σκηπτός; 717, τίς δ' ἐμῶν. κτλ.), donec ad se et suos reversus, excussa oblivione eaque mentis inconstantia qua affici in inferis omnes dicebantur, longinqua et arcana doceat. — Sed longe ille ab Homero et Tiresiæ monitis, quum pristinorum oraculorum memor (800, εἴ τι πιστεῦσαι θεῶν χρὴ θεσφάτοισιν) præteritis adjungit futura et Platæensem cladem minatur; nec lumen tantum ostendit animi ingeniique sui, sed etiam certissimam rerum humanarum prudentiam; fati quidem quadam necessitate (1), sed etiam demen-

(1) Eam multum in hac fabula imminutam, sed non ut Boyero (p. 40, titre : dans les Perses *la fatalité a disparu en-*

tia levis tumidique (θούριος Ξέρξης, 719, 754) Xerxis tot miseriarum seriem accidisse explanat; vitam scilicet humanam plenam esse calamitatibus (706, ἀνθρώπεια δ' ἄν τοι πήματ' ἂν τύχοι βροτοῖς κτλ.); sed rerum eventu demonstrari quantum Di et bonis prudentibusque faveant (767, φρένες γὰρ αὐτοῦ θυμὸν ᾠακοστρόφουν. — 772, Θεὸς γὰρ οὐκ ἤχθηρεν ὡς εὔφρων ἔφυ. — 901, ἐκράτυνε σφετέραις φρεσίν) (1), et in malos insanosque pro factis sæviant (827, Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν φρονημάτων ἔπεστιν, εὔθυνος βαρύς); maximam igitur pœnam debere quum Xerxem quod mortalis sanctum Hellespontum (745) ipsumque Ennosigæum (750) aggressus sit compedibus vincire; tum Persarum exercitum (813 et s.) qui in Græcia permansit, quod deorum compilaverit delubra et igne vastaverit. Sic sapientiæ et virtuti esse constituta sua vel apud homines prœmia, suam sceleri pœnam. Quam sane rerum humanarum descriptionem non apud Homerum eamdem invenies; recentiorem illa sonat ætatem et summi poetæ prodit ingenium qui de moribus

tièrement) placet, omnino sublatam opinor. Vide ista: 101, θεόθεν γὰρ κατὰ Μοῖρ' ἐκράτησεν τὸ παλαίον. — 362, τὸν θεῶν φθόνον. — 345, δαίμων... τάλαντα βρίσας οὐκ ἰσορρόπῳ τύχῃ. κτλ. Quantum vero inter Æschylum et Herodotum de *deorum illa invidia* intersit, optime ab G. Hoffmanno (*Philologus* XV) est disputatum.

(1) Opp. 719, πεῖραν τήνδ' ἐμώρανεν... 750, πῶς τότ' οὐ νόσος εἶχε παῖδ' ἐμόν. 725, μέγας τις ἦλθε δαίμων ὥστε μὴ φρονεῖν καλῶς. 808, ὕβρεως ἄποινα κἀθέων φρονημάτων.

et religione plura scrutatus est et meliora judicavit; illa autem adeo præstantior est omnibus hæc vaticinatio, nusquam oratione gravior et pulchrior (818 et s.) quam quum humanæ vitæ ac naturæ maximas leges explanat.

Sed non omittenda *quæ* vel in aliquot locis vel in ratione totius scænæ *sunt reprehensa.* — Primum quidem illam omnem dixerunt (1) mire *ab historia deflectere;* crimen hic inferre Darium quo carere ipse nequeat; nempe ipsum arma in Græciam movisse, Græcorumque animum Marathone tentando quot animas militum projecisse ut superbiæ ac libidini suæ inserviret; ipsum pedestrem exercitum traduxisse Bosphorum; quo tandem ore filium imitatorem, imo ultorem sui tanta severitate objurget? — Subiit, ut mihi videtur, non imprudens Æschylus reprehensionem quam non providere non potuit, neque Marathoniam cladem oblitus est quam ipse (244) commemoravit; sed post multos annos, quum non rex sed umbra regis diceret, Darium inducere sibi licere putavit vero prudentiorem ac certe omnino filii dissimillimum, qui querendi et incusandi præscriberet modum, et Atossam Persasque vel potius spectatores, quod unus potuit quique verus fuit tragœdiæ finis, admoneret hic abesse quam

(1) Teuffel, *in Editione*, p. 32. Contra Herwig, *Ethisch-religiœse*, etc., p. 7. Locos omnes affert Æschyli et Herodoti Hoffmann, *Philologus* XV, p. 256 s.

sibi fingebant deorum invidiam et insidias (Χορ. 92, δολόμητιν ἀπάταν θεοῦ. Αγγ. 345, ἀλλ' ὧδε δαίμων τις κατέφθειρε στρατόν. Ατ. 472, ὦ στυγνὲ δαῖμον κτλ.); sed contumaciæ (783) ac dementiæ (749) Xerxem, impietatis Persicum exercitum (809) gravissimas has pœnas expendere. — Duos etiam locos nostrates sæpe mirati sunt, quorum Darii verba incipit alter, alter concludit. Quomodo, inquit (1), *ignorat* ille tam multa qui modo sciet omnia? Quis credat bellum omne eum fugere a quo mox ultima clades sit prædicenda, nomenque ducis eumdem nescire (717) a quo vinctus Hellespontus non ignoretur (745), futura omnia sint explananda, imo mater de squalore filii ac sordibus sit paulo post admonenda (836)? Homerico primum exemplo id excusari possit et necesse haberi defendetur certum ac fixum aliquid erranti animæ proponatur quo temporibus novis hæreat; nec infelix est illa ignorantia qua paulo ante nuntiatæ cladis memoria renovatur significantius. Cavendum vero ne putemus, ut nonnulli, pleraque ignorare Darium. Ut regina quum ista de filio breviter explicat, plus quam sibi videtur re dicit (724) (2), sic Darius re plus quam vi-

(1) Boyer, not. p. 26, Teuffel, *in Editione*, p. 32.

(2) Boyer, p. 19 : « Atossa satisfait à toutes les questions qui lui sont faites; mais inspirée par son cœur comme un oracle par quelque dieu, elle cache à son insu un double sens dans chacune de ses paroles. Ainsi, elle fait l'histoire de la folie de son fils, tandis qu'elle croit ne faire que celle de ses mal-

detur resciit, sed ita interrogat ut ista aperiat quæ reliqua mala significent. Ubi de Athenis (1), de nautico bello (719. Cf. 728, ναυτικὸς στρατός, et 906, πλαγαῖσι ποντίαισιν), de juncto Hellesponto (722) ac Xerxis fuga (734) quasi nota recognoverit, omni abjecta dubitatione protinus exclamat (739) : φεῦ ταχεῖά γ' ἦλθε χρησμῶν πρᾶξις — ; dein dicta ante relegit; eodem ordine factorum quidque æstimat (745, 790, κτλ.) quæque conticuerat statim percenset omnia. — Hærent etiam aliqui in illo celeberrimo *quod in egressu dat consilio.* Non enim flentibus adflet Darius; vitam iis invidet monetque ne vel in malis temperent quin senes, in diem quem tenent, voluptati animum dedant (840, πρέσβεις χαίρετ' ἐν κακοῖς ὅμως). Id quoque et homericum et Græcum (2) est, nec non a sensu naturali ortum. Etsi apud inferos multum valet Darius (691, ἐνδυναστεύσας) et in terra toties deus appellatur, mortalis fuit (632, μόνος θνητῶν) et morte vinctus vitam ac lucem desiderat. Ista vero in medio luctu voluptatis recordatio nonne excusatur quod post tot calamitates sive præsentes sive imminentes necessaria fuit aliqua animi remissio, ne adventu Xerxis

heurs, et provoque le blâme de sa conduite en voulant appeler la pitié sur ses souffrances. »

(1) Nempe spectant ii qui sibi videntur αὐτόχθονες unde ista : 792, αὐτὴ γὰρ ἡ γῆ ξύμμαχος.

(2) V. Patin, I, 236. Confer etiam Eurip., *Herc. fur.*, 503 et fr. trag. gr. anon., Wagner Did., f. 48, p. 164.

dolor non jam augeri possit neve τῷ κομμῷ præcludatur locus (1)? Ut Atossam solam filius audire sustinebit (838), sic Darius unus, quem fecerat terrorem, illa quadam hilaritatis specie et amissæ felicitatis desiderio lenire potuit. Denique hic etiam rex mihi videtur ut de rebus imperii, sic de audientium mente callide judicare. Quemadmodum vidit plane muliebrem animum Atossæ sordido apparatu filii maxime commoveri (832, σὺ δὲ... κόσμον... λαϐοῦσα. 846, μάλιστα δ' ἥδε συμφορὰ δάκνει) ita senes intelligit, quantumvis sincere patriæ fortunam lugeant et tarditatem ævi accusent in hunc servati dolorem (262), præsentia tamen non tanti intimo animo ducere rerumque eventum quæ ad se vix pertinent.

Admiranda igitur illa vatis natura quem ex intimis terræ visceribus extractum (624, γῆς θαλάμοι. 839, ἐγὼ δ' ἄπειμι γῆς ὑπὸ ζόφον κάτω) nec magna nec parva fugiunt, deum nominatum divina consilia non celantur; vel supra hominem elatum valde tangunt humana omnia; qui præcipue poetæ bonus interpres longa trochaicorum (χορείων) serie futura vere *canit* et omnia docet eaque etiam quæ a se non exspectabantur, imo majora quam quæ a vatibus exspectari solent; grandi enim ore, copia sensim largiore, solenni apparatu neque sine aliquo audientium stupore non fata tantum omnium

(1) Girard, *Sentiment religieux*, p. 480.

et ipsius imperii effundit, sed quod multo majus est, humanæ naturæ infirmitatem significat, homines pietatem ceteraque officia edocet; rex ubique exstat maximus et vere dignus qui a suis vocetur deus, a nobis vates præstantissimus.

PROMETHEUS.

Promethea vinctum semper alii aliter interpretati sunt (1). Nos vero qui in fabula et in deo divinationem tantum quærimus, viam tutiorem sequemur ubi desunt et ænigmata et illa, a quibus vix emersere tot alii, vada. Nec scopulum offendemus quo tot egregiæ naves afflictæ sunt, quum in interpretando huic uni fabulæ quasi egregii corporis truncato membro hærerent; ad totam trilogiam, quantum fieri poterit, respiciemus ita tamen, ut deperdita non in tralatu nescio qua fingendo nos restituere posse confidamus.

Primum in *servata fabula* viden quantum et Promethei indoles et tota actio a *divinandi arte* pendeat.

Liquet *illa potissimum rerum futurarum prudentia*, cui nomen debuit, hic semper *Promethea inniti* omnesque ejus sensus vel illinc fluere vel illuc referri; quanquam diversa erat prima ætate illius

(1) V. Wecklein, Ed. *Prometheus Einleitung*, p. 12.

natura, neque ὁ πυρφόρος θεὸς ut videtur ullo modo vates fuit. Sed non longo post intervallo temporis, nominis causa, id valent in his rebus nomina, omnia ingenio complecti dictus est, et in providendo totus fuit. Eam autem partis indolem, neglectis non paucis quæ tradita erant pluribusque additis, Æschylus maxima cura et copia summa in deo expressit. Illum non divinantem modo sed divinationis atque omnium quæ in ea dividuntur generum inventorem fecit ac magistrum, 484 et s., ut hominibus, sic dis atque ipsi mundi arbitro auctorem necessarium. — Promethea alii non arte sed casu Jovis fata excepisse memoraverant (Hygin., *Poet. astr.*, II, 15 : « Prometheus non voluntate sed *necessitudine* vigilans. » Cf. Wecklein, *Studien zu Æsch.*, p. 24); vide quam noster sit dissimilis. Natura omnia providet, neque eum quantum Κράτος cupiat (85) ψευδωνύμως... δαίμονες Προμηθέα καλοῦσιν. Hic Themide non nescio qua Clymena natus dicitur. Nunquam in fabula non ad futura respicit (98, τὸ παρόν, τό τ' ἐπερχόμενον. 101, καίτοι τί φημι; πάντα προὐξεπίςταμαι σκεθρῶς τὰ μέλλοντ' οὐδέ μοι ποταίνιον πῆμ' οὐδὲν ἥξει); imo tanquam eodem gradu, eodem loco sita omnia ita intuetur, ut præsenti tempore dicendo utatur ubi alia pæne videbantur necessaria (præsens pro præterito; 109, θηρῶμαι. — pro futuro; 171, ἀποσυλᾶται. 211, κραίνοιτο. 525, ἐκφυγγάνω. 764, ἀσχαλᾷ). Cui arti si quid in ejus verbis parum convenit, acerbitatem animi magis quam

veritatem naturæ significat nec quidquam nisi exasperatum dolorem sonat (127, πᾶν μοι φοβερὸν τὸ προσέρπον. 267, οὐ μήν τι ποιναῖς γ' ᾠόμην τοίαισί με κατισχνανεῖσθαι (1)... Non necessarium sane fuit (2) aliquam ex inductis personis deo prudentiam illam assignare, quæ nomine significabatur, ab inimicis quamvis negata timebatur, dictis ipsis apparebat. Nec immerito de se ipse gloriatur quod (843) δέρκεται πλέον τι τοῦ πεφασμένου. Vel ea prospicit quæ maxime remota sunt ac vero minime similia (192, σπεύδων σπεύδοντι), provisarumque rerum (272, τὰς προσερπούσας τύχας... τὸ πᾶν) aspectu præsentem casum (271, τὰ παρόντα... ἄχη) ita consolatur, ut sexcenta ei propria mala (512, μυρίαις πημοναῖς) brevis temporis (939, τόνδε τὸν βραχὺν χρόνον) esse videantur. Neque impar Jovi audacter obsistit. Ut enim os illius mentiri nescit (1032, ψευδηγορεῖν... οὐκ ἐπίσταται στόμα τὸ Δῖον), sic os Promethei non variat (Opp. 662, αἰολοστόμους χρησμούς); sed λόγοις (532 et 782) abundans, inimicis constanter clauditur, amicis verum aperitur (612, ὥσπερ δίκαιον πρὸς φίλους οἴγειν στόμα). Vates alii si quid primum abnuerunt, criminatione aliqua commoti, statim aperiunt.

(1) Noli oblivisci hunc versum illis proximum; 273, ἀκούσαθ' ὡς μάθητε διὰ τέλους τὸ πᾶν. Contra Kolisch, p. 1 et s., qui ut mihi videtur neque temporum neque personarum satis æquam rationem habet.

(2) Vide Kolischum qui quum id desideravit, mira inde collegit.

Prometheus non iracundiæ minus est impotens, sed propositi et silentii tenacior. Vana quidem et nimium pulchra quæ proponit chorus ultro avertit (509, εὔελπίς εἰμι τῶνδέ σ' ἐκ δεσμῶν ἔτι λυθέντα μηδὲν μεῖον ἰσχύσειν Διός — Προμ. οὐ ταῦτα ταύτῃ κτλ.). Sed infenso Jovi ruinam prænuntiat, sibi liberatorem non tantum providet, sed ejus ætatem et genus indicat. Gravissimis suis vulneribus hoc uno sed magno fomento medetur; hac fretus ingenii sui conscientia summum deum provocat, hac fati prudentia multo magis quam immortalitate sibi olim deploranda eumdem impugnat; injuriam cum eo expostulat (177, ποίνας τε τίνειν τῆς δ'αἰκίας); denique rerum omnium quamvis potentissimum dominum periculi quum maximi tum cæci timore eo adducit ut sibi modis omnibus, minis, terrore, supplicio certum illius indicium extorquere velit.

Quæret aliquis utrum *per se* ipse an *alterius ope* quæ prædicit Prometheus resciverit. Quæ quidem ad Jovem pertinent a Themide matre se audisse bis (209, 874) confitetur. Sed ne ei magis quam æquum est quamque ipse velit credamus. Matris enim nomen, si non in eo meram allegoriam intelligis, ideo tantum huc allatum videtur, quo plus auctoritatis dicenti adjiciatur; spondeat illa quod hic providet; non tanquam nihil præter ea noverit et angustissimo illo gyro ejus ingenium refringatur. Id enim unum aut alterum mater edocuit, sed non quidquid Ioni prænuntiat; denique quid

refert unde ea olim manaverint, quum a Prometheo *uno* nunc explicari possint? Non enim a Themide sed a Prometheo in periculo Jovis salus exspectabitur (913, τοιῶνδε μόχθων ἐκτροπὴν οὐδεὶς θεῶν δύναιτ' ἂν αὐτῷ πλὴν ἐμοῦ δεῖξαι σαφῶς). Artem profecto illam postquam alias auxit poeta et veriorem induxit, non alieno fonte ductam omnem fingendo, imminuere debuit. Putandum est igitur Promethea quamvis interdum matris auxilio ac fide adjutum propria arte futura divinare.

Quanquam et *artis pericula* ipsum artificem non fallunt. Quid dulce sit in sperando non ignorat quidem, et quum choro consentiat : 536, ἡδύ τι θαρσαλέαις τὸν μακρὸν τείνειν βίον ἐλπίσι, φαναῖς θυμὸν ἀλδαίνουσαν ἐν εὐφροσύναις —, id tamen non item concedit: 698, τοῖς νοσοῦσί τοι γλυκὺ τὸ λοιπὸν ἄλγος προὐξεπίσπασθαι τορῶς. Non reliqui cursus descriptionem Ioni invidet (627), sed valde potius ducat se non interrogari, eam æstuosum illud miseriarum mare ignorare (624, τὸ μὴ μαθεῖν σοι κρεῖσσον ἢ μαθεῖν τάδε). Scit ille optime necesse esse mortales errore felici illudantur, nec nisi per caliginem videant aut ne videant quidem eventura (1); sic illos melius, quidquid futurum sit, pati. Nec in tot malis percensendis secum dissentit qui genus humanum impediit quin mortem provideret (248); et spe illa bona et divite

(1) Cf. *Agam.*, 251 : τὸ προκλύειν δ' ἤλυσιν προχαιρέτω · ἴσον δὲ τῷ προστένειν.

quam Pandora in arcula retinuit, qua ipse natura non fruitur, mentem humanam decepit vel potius solatus est.

Divinatione etiam constant *duæ potissimum scœnæ* quæ non totam fabulam complectuntur, sed ejus summam continent; responsum dat vates in priore; in posteriore abnuit.

Admiranda est sane decretoria scæna qua *Mercurio* resistit, Jovi iratus a quo nuper salutis et imperii auctor magnum illum prœmii fructum accepit. Tiresiam videbimus a Creonte accusatum quem in summum locum evexit; sed quanto hic ut deus animo audacior atque ore liberior! Primum grandiloquum inimici dei ministrum (954 s., Cf. 966, 983) et illudit et provocat. Quid enim ad illum minæ qui tantos exantlavit labores, imo qui futura velut præsentia tenens (εἰδότι 1040) nihil recusat (935). Nequidquam regio more Mercurius ad crimina et contumelias ruit, quibus vaticinantes in scæna opprimi solent, et Promethei insaniam (1054 s. Cf. *Agam.*, 1064) pertinaciam (964, 1012, 1034) et infirmam peritiam (ἀσθενές σόφισμα, 1011) insectatur; imo frenum quod cruentaturus sit, ut Clytemnæstra Cassandræ, intentat (991 Cf. *Agam.*, 1066). Ter (963, 989, 1053) ille majore semper constantia et acriore superbia responsum negat. Dein ministrum velut vanum omittit et, ad chorum versus, incredibiles sese hausturum calamitates, omnem cruciatum perlaturum et intolerabili dolore laceran-

dum potius profitetur quam se suaque prodat. Quid postea nisi ut ea quæ minati sunt dii, vates expectat, perficiant. — Sed non minus legentem movet prior illa scæna qua *Ionem* nunc longa serie malorum terret, nunc aliqua spe recreat. Novit enim molles aditus et fandi tempora (Vide ut loco dictum sit 755, πρὶν ἂν Ζεὺς ἐκπέσῃ τυραννίδος); longa et maesta dividit si quando malis ægra assuescere possit; percenset commendatque (705 et 789) singula, ne quid utile vagantem fugiat; memoriam præteriti temporis replicat ut apud eam constituat verborum suorum auctoritatem; tristibus laeta, notis multa insperata humane intermiscet; imo narrationi inserit aliqua gloriæ futuræ blandimenta et spem non semel injicit terræ cognominis (733, 815, 840). Quum vero illa promissi ut solet immemor in fletus et lamentationem erumpit, et mortem tot aerumnarum finem optat, impetum doloris exemplo miseriæ mulcet suæ, et jactis aliquot de Jovis matrimonio dictis, muliebrem animum a propriæ molestiæ conscientia alieni periculi obscuritate abducit et abducendo consolatur. Ecquis est eo dignior qui ut aliarum rerum, sic humanæ mentis prudentissimus audiat?

Quantum vero detur divinationi in hac fabula non tam uno aut altero loco (noti sunt de *Typhone* versus 347, s.) et his scænis quarum summam strictim attuli, quam ipso *actionis genere* apparet. Tota enim arcano illo constat quod omnes ac Jupiter po-

tissimum scire cupiunt, Prometheus solus tenet et nunc obscuris nunc clarioribus verbis significat; aliquando tantum non aperit. Hinc omnia alia pendent; huc omnes spectant; hæc una causa omnium affectus omnes, chori spem timidam, Jovis iram, Promethei confidentiam efficit; eamque non immerito vecti aliquis (1) contulit quo alia promoventur. Non magis in fabula servata progredimur quam quantum in hanc partem appropinquare nobis videmur. Choro consentimus quum Prometheo dicit : 521 ἦπου τι σεμνόν ἐστιν ὃ ξυναμπέχεις (Cf. 766). Id quidem ille vel quum in eo est ut aperiat, tamen servat et involvit (521 ξυναμπέχεις; — 523 συγκαλυπτέος); quodque novimus et amicis pæne condonat, inimicum ira et fulmine tortus obstinate celat neque ad aliud aut personæ unquam aut nos spectamus.

Fabulæ ὑπόθεσιν illam ac quasi summam ubi advertisti, satis est et aliarum *scœnarum*, modo huc eas referas, *ordo* perspicuus; prima describitur quo miseriæ delapsus sit deus; dein dialogum quem incipit ille et persequitur cum Oceanidibus, non paucis de pœna ultoris sui jactatis, moratur Oceani adventus cui velut Jovis assentatori omnia dissimulat. Post illi parti plenæ irarum respondet altera sedatior primum, dein multo incitatior; Ioni enim primum, tanquam resederit ille ardor, quæ prosunt aut placent, si quid ei placere potest (835), longa

(1) Wecklein, *Stud. z. Æsch.*, p. 24.

oratione explanat; ubi vero Mercurio quidquid imperatum est recusavit, quod unum misero liberum erat relictum, os (στόμα) clauditur; et ipse circa jactis fulminibus ambustus, saxique ruinis obrutus, et dum omnia quatiuntur animo inconcussus, in Tartari tenebras immergitur. — Sane non sine consilio duas illas partes et in utraque æquabilem personarum istam contrarietatem fecit Æschylus; neque imprudens primas ubique deo vaticinanti dedit et actionem re quam ille scit, interdum incipit, denique silet, omnem fundavit.

De servata fabula hactenus. In *Prometheo soluto*, quanquam locuples auctor (1) nimia fortasse fiducia eum contendit structura ipsa personarumque numero ac ratione cum *vincto* congruere, tamen eadem sane fuit dei indoles, idem actionis fundamentum, ac fortasse idem orationis tenor. Notissimo versu, ἔχθροῦ πατρός μοι τοῦτο φίλτατον τέκνον, ostenditur invicta vis animi et eadem quæ antea in juvando benignitas, eadem in reluctando constantia. Scilicet et Jovi se necessarium adhuc putat adjutorem, et amico inimici filio artis beneficia largitur, vagumque Ionis nepotem de omnibus cursus periculis admonet. Viam autem quæ ad iram olim duxerat, eamdem ad conciliationem patuisse suspicamur. Ubi enim quid-

(1) Kolisch, *Der Prometheus*, XII, p. 73 et s. : Der *Parallelismus* des gelœsten Prometheus mit dem gefesselten.

quid prædixit vates sive Jovis prudentia sive fato evenit, et occisa aquila cujus pastu dilaniabatur, catenis ille, non adversante Jove, solutus est, non dubium quin quod tamdiu celavit, libere tandem, retexerit, unde Jovis regnum in æternum stabiliretur, male sarta antea utrique deo gratia firmius coiret, restitueretur et in cœlo et in toto orbe Διὸς ἁρμονία. Hic sane fuit trilogiæ finis initio accommodatus, deique reconciliatio crebro funali sacrisque Προμηθέως πυρφόρου celebrabatur.

Quid possit inter homines diri oraculi metus reique ignotæ explicatio in Sophocle docemur; hic inter deos (neque enim Æschylus divinam expallet historiam) eadem fingitur et discordiæ et dolorum causa; sed *fabula* servata forma quidem Œdipo simplicior, rebus major, personis gravior, mundi rerumque omnium quum humanarum tum divinarum novitate gratior, nescio quid grande et altum ubique servat quod mirum quantum humana etiam ubique misericordia temperetur. *Prometheo* vero *ipsi* inest sublimitas sine dubio plus quam humana, tamen non omnino divina, nimium enim commoveri videtur, sed potius ut ita dicam, ut ait ipse (116), κεκραμένη, ita ut ceteris vatibus partim comparari possit, partim sit segregandus. Liquet de qua prius dicam *differentia*. Etenim ille non homo sed inter deos deus inducitur. Inde non ei grave ut multis hominibus, sed vel cum amaritudine aliqua

dulce (1) est prævidere futura quæ secura voce *iambicis* pronuntiat. Mens ejus spatio nullo, nullo tempore, nulla cujuslibet generis difficultate coercetur. Quæ præsentit meliora, studet exsequi; quæ periculosa, arcet. Animus non minus acer quam simplex ad effectum spectat et pergit. Mortalium ruinam ab Jove jam paratam quum vidit, tum impediit. Magna opera incipit, urget, persequitur, et si quid forte obstat, totus contra erigitur. Nec futuris rebus solummodo, sed justitiæ incumbit, neque ullo pretio, ulla pœna ab illa se averti patitur. Nec homines tantum muneribus cumulavit; eos summo periculo suo servavit. — Sit vero quantavis ea diversitas, major tamen est *similitudo*, deique hujus præsenti fato factum est, ut vis divinandi sane non totam ejus indolem, sed magnam partem contineret. Facultas illa ingens et excogitandi et exsequendi, quæ nuper mortalium vatum comparationi maxime repugnabat, in præsens omnis tollitur. Huic enim fabulæ non modo loci et temporis mutationem, sed motum quemlibet actionis ipso argumento deesse oportuit, nec Prometheo, præter libertatem animi quæ abripi non potuit, ulla alia est relicta. Saxo quidem religatus

(1) Ne tanti facias pauca illa quæ in prudente imprudentiam (268) aliquam arguunt, in intrepido metum (127), in confidente levem animi inclinationem (136 s.). Non nævis tota corporis indoles mutatur. Ea sunt quibus nobis similior fit, nobis miserabilis; ferrei non nos misereat.

et illa pœnarum indagine inclusus, calamitoso otio tabescit, et quamvis nulli supplicio submittat animum, evadit in agendo hominum non adeo dissimilis, imo homine inferior. Stat enim corpore infra vires humanas vinculisque suis quasi intra divinationis fines coercetur. Ergo ad illam totus revertitur, atque animo præterita simul futuraque complectens conferensque præsentibus, illorum seriem et secum et coram amicis amice explicat. Quum mors terminus mali (754) ei denegetur, quid aliud relinquitur quam vitam omnem in *arte* consumat *sua* (818)? Cujus olim fontem ac præcepta a matre accepit, et ab ea nomen duxit; nunc illa se qualis in fabula describitur, conformavit; illa vincit victorem suum hic certe fati ignarum; illa mortali quam Jupiter perdidit, morem gerit; illa denique supplicium ultimum suum consolatur. Quem igitur in maxima parte tragœdiæ vaticinantem audimus, quem semper videmus tota mente rebus intentum futuris, vatem merito dicemus vel potius vatum, quos tragici induxere maximum, in pulcherrima exstantem tragœdia.

Ergo inter omnes convenit nunquam majus audientibus adfuisse spectaculum fatali illa fabula, plena libertatis, confertaque tumultuantium deorum minis ac constantia; nullam audaciorem quam istius pristinæ ætatis memoriam et tractationem; nihil justius homines movisse, quanquam tanto certamine mortales absunt, ac vix aliqua interdum fit eorum

mentio; sed etiam nunquam fuit vatis indoles aut arte et animo major, aut voluntate firmior, æque dictis ac silentio admiranda, in supplicio miserabilis et quodammodo victrix in ipsa clade.

CASSANDRA.

In *Agamemnone* vel primum legenti deprehenditur si dicere impune licet, *actio* quamvis sine contrarietate *duplex* : una plane *humana* et more aliorum poetarum disposita, qua quum nuntiantur facta, Troja scilicet capta reversusque Agamemnon, tum paratur occulte scelus, denique describuntur verbis suis inductæ personæ, Agamemnon, Clytemnæstra Ægisthus, quæ omnia nostra disputatione non egent; altera illius comes vel potius et tempore anterior et vi superior, quæ illam morari videtur quamquam eam et creat et properat; omnis enim deorum voluntate constat et veras humanarum rerum causas continet; merito ergo dicenda *divina;* quæ præcipue operta recludit, locorum aut temporum intervalla tollit, longinqua quidem facit propiora; sed maxime memoria aut conjectura partes temporis diversas invicem certo ordine conjungit, præteritis præsentia, præsentibus futura. Hanc actionem aut si mavis hunc apicem totius rei demonstrant primum quatuor *chori* carmina, deinde *Cassandræ* vaticinatio.

Non hujus materiæ est *chori carmina* persequi;

sed quum iis pateat quædam via usque ad Cassandræ vaticinationem, non inutile est eorum certe indolem breviter adumbrare. Dominatur sane in illis aliqua instantis mali expectatio quam secundi rerum eventus atque ipsa regis præsentia non minuit, sed auget et acriorem facit. Præmetuit enim chorus quum deorum iram (ἄγα θεόθεν 131, μνάμων μῆνις 155, cf. *Prom.*, 516) tum furiam sceleris pretium, sceleris causam (μέγαν οἴκοις τοῖσδε δαίμονα 1481, cf. 1468; — ἀλάστωρ 1508, cf. 1502; — μέλας Ἄρης 1511; — δίκην 1535), deasque domui Atridarum additas in aliam non avertendas (1572 Cf. ἄσκοποι θεοί κελαιναὶ δ' Ἐρινύες 462 — ὑστερόποινον ... Ἐρινὺν 58, et quum Cassandræ τὸν δ' ἄνευ λύρας ... θρῆνον Ἐρινύος 990, tum Clytemnestræ verba Ἄτην Ἐρινύν τε 1433). Fac Sophoclem aut Euripidem hanc rem attigisse; quam probabile apud illos etiam chori partibus multum esse datum, sed neque eadem ratione neque causa eadem? Adfuerit credo testis ille argivarum rerum, qui quidquid absente rege factum sit, rescierit, et uno verbo priora flagitia retegere, scelus paratum impedire possit; neque arte nec gravitate caruerit illud tractandæ fabulæ genus. Sed aliud omnino Æschylus. Nec tanti fecit verba illa posteris multo jucundiora, quorum est sensus duplex quorumque circa ambages ludere solet et auditorum et poetæ ingenium (1).

(1) Qualia sunt aliqua *Nuntii* (36) vel *Clytemnestræ*, etsi talia erant in hujus effingenda indole pæne omnino necessaria (911, ὡς ἂν ἡγῆται δίκη... 973, Ζεῦ Ζεῦ τέλειε. — 1057, ἕστηκεν ἤδη μῆλα).

Vix unum aut alterum istius modi prodit chorus (1). Vix paucis regem monet ne fuco orationis malitiosisve officiorum blanditiis decipiatur 788 s., 807 s., (Cf. 1550, ἀληθείᾳ φρενῶν). Nihil amplius. Non quo chorus « commissa » vel operta « tegere » studeat, sed quod, ut vera dicamus, minus hominum dolos curat quam deorum severitatem ; quid judicaverint illi, quid parent, omni memoria, omnibus modis indagat eosque invenit Atridis ubique infensos. Recordatur (2) si quid prædixerint antea τέχναι Κάλχαντος οὐκ ἄκραντοι (249), mox sacrificium illud Iphigeniæ plurima dissidia in gente pariturum (νεικέων τέκτονα σύμφυτον 153) ; nullam esse sine dolore boni experientiam (πάθει μάθος 177, Cf. 250) ; quot igitur insuper malorum mercede reliqua ediscenda ? frustra ad Paridis interdum pœnam et Græcorum victoriam vertitur (362) ; statim occurrit eorum fortuna quos vivos misit illuc patria, quorum vero aut Græcia ramentum quoddam cineris misere deflendum acceptura est (442), aut plurimos victores victa terra tegit (455, 670, contra 568). Nonne cavendum ne quod vitæ atque exsilii pretium tot manes ab aliquo sint repetituri ? Itaque si quis non infausta referat, eum chorus audire recusat (475 s.) ; ne suis quidem oculis credit (988 et s.) Vel quum adest Agamemnon

(1) 247, τὰ δ'ἔνθεν... οὔτ'ἐννέπω. — 428, καὶ τῶνδ'ὑπερβατώτερα. — 459, μένει δ'ἀκοῦσαι... νυκτηρεφές. — 548, πάλαι τὸ σιγᾶν...

(2) 122 et s., præcipue 152.

tot spoliorum opulentia circumfusus et viam multis vestibus purpuraque stratam ingreditur, senes non triumphantis victoriam vel felicitatem veram putant, imo quum maxime metuunt. Eorum animum nescio quid scelesti augurantem subit dirorum more insomniorum invictus timor, atque aures implet carmen quoddam injussum, neque pretio ullo dignum neque usquam vitandum (979 μαντιπολεῖ δ'ἀκέλευστος ἄμισθος ἀοιδά). Nempe in eo est felix ille victor ut occultum scopulum offendat (1007). Qui sit, non dicunt, sed vident.

Hæc est omnis chori indoles et actio; a quo nihil aliud postea audies quam sermones vel potius acerrimas cum Clytemnæstra et Ægistho altercationes. Jam vero hunc excipit altera persona ad exacta memorandum, futura providendum, obscura scrutandum, omnia ordine persequendum multo aptior, ore ardentior, divinæ voluntatis, ut vates (1), interpres melior, *Cassandram* dico. Quemadmodum in *Persis* ad *Darii* verba, ita hic ad *Cassandræ* omnis fabula tanquam ad certum finem dirigitur. Hinc velut e specula in totam rem prospectus patet, et in fabulam, imo in trilogiam firmo gradu descenditur. Vaticinatio ipsa Calchantis augurio præparata est; Iphigeniæ memoria duplex cædes et regis et captivæ portendebatur. Et in hac extrema sequentibusque fabulis, quam doloso et suspicamur et vi-

(1) Girard, *Sentiment religieux*, 507, cf. 473.

demus flammam cineri suppositam, cœlo tandem erigetur et totam domum evertet.

Cassandræ primo incessu facit expectationem ipsum omnino tragicum, quamdiu adest Clytemnæstra, silentium. Mox ubi in clamores erumpit, dolore primum verba arctantur; vix tres versus, mox quinque identidem jacit; quæ est pars prior vaticinationis, *lyrica* tota; sequuntur, quum paulo deferbuit ille æstus, tres *iambicorum* ordines, tum epilogus. Partibus omnibus subest duplex affectus: quum mortem sibi instare videt, tum Atridarum scelera et fortunam, deo premente, enuntiare cogitur.

In *lyricis* primum postquam Ἄπολλον Ἀπόλλων ἐμός ἀπωλέσας exclamavit, domum agnoscit omnibus flagitiis fœdam cruentamque; Thyestæ cenam videt; scelus quod paratur, deprehendit ejusque rationem describit. Tum ad se redit exitii comitem futuram; Scamandri oras reminiscitur patriæque eversæ labores, cui tot sacrificia non salutis pretium fecere. — Quæ strictim hic dicta sunt, eadem in *iambicis* (1) largius; quorum tres sunt partes; prima de Thyestæ adulterio ac cena, secunda de Agamemnonis cæde, tertia de proprio ejus exitu. Eadem trium partium ratio est. Ab aliquo omnes vaticinationes impetu incipiunt, quo Ius simillima subinde vates rapitur (1186 et s., 1215 et s., 1256 et s.). Rem ipsam

(1) Erat etiam in Ajace Locro Sophoclis ac fortasse etiam Cassandræ, fr. 145, καὶ πεζὰ καὶ φορμιγκτά.

videt, horret, monstrat. Hæc eduntur, ut decebat, infracta oratione, ac multis constant vix cohærentibus inter se imaginibus, quibus fit quædam rei ὑποτύπωσις; hinc quasi tum demum puella verba audiat sua, exponuntur sensus qui talia sequuntur, metus, odium, desperatio; et quum paulum requievit animus, adjiciuntur quædam de fide quæ verbis ejus abrogatur (1194, 1239, 1270 et s.). Hinc incipit pluribus versibus cum choro dialogus, donec deus rursum mentem lacessat. — In tertia iambicorum serie ultorem mortis suæ prænuntiat, et sicut Dido, *Exoriare aliquis* exclamat; parricidium videt, qui maximus tot flagitiis cumulus accedet; sed de ultione quamvis aperte, paucis certe significatur, ut opinor, ne sequentibus fabulis, quarum hoc proprium est argumentum, nimio plus detrahatur. Denique mortem indignata, quamvis mori parata, omnia abjicit illa ornamenta quæ olim frustra artem testabantur, nunc Apollinis tutelam mentiuntur. — Post cycneum (1444) illud carmen *epilogo* opus fuit quem poeta non minus tragicum fecit quam exordium. Domum ingressa refugit Cassandra portam illam Plutonis paulo ante (1291) nominatam, nunc vero ut illi videtur cruore stillantem tetramque emittentem auram sepulcrorum. Sic paulisper reviviscit virgo jam conclamata. Postquam tamen chorum constantiæ suæ, solem cædis, quæ non tanti laboris fuit, testes adhibuit, locum aditura quo de se et de Agamemnone peragendum est,

de rebus humanis queritur quas permagnas umbra evertit, tenues (1) velut scripturæ lineam jacta spongia sustulit, quod quidem est multo miserabilius. Querela autem illa non vaticinantium modo consuetudinem tenet, quorum verba morte appropinquante non ad unum sed ad omnes pertinent (2) (dolorem enim « ut levat in parva, auget in magna mente communis quasi legis et humanæ conditionis recordatio »), sed etiam quod Græcis maxime placebat, concitationem omnem animi consedisse ostendit, vatemque nuper deo gravidam nunc eo liberari. Mox fiunt nuntiata intermisso fere nullo temporis spatio inter verba et rem, aut ut hic vere dicatur, inter *cæsa* et *porrecta;* omnia peraguntur quæ sive ipsi augurabantur, sive a Cassandra audierant senes (1488, θεόκραντον), gens infelix simul et scelerata mutuis cædibus nondum desiit se vexare (1573), jamque domum quatit imber sanguineus (1533).

De *choro* nihil diximus qui dialogi fert alteram partem et Mycenensium populum repræsentat. Primum vix agnoscas illum qui nuper in media victo-

(1) Totum locum Weilius abjudicat Cassandræ datque choro immerito mea quidem sententia (Editio et *Journal gén. Instr. pub.*, 1860, p. 188). — Confer paupertatis laudem, in hac fabula 774, et de sera populi ultione, *ibid.*, 456, 1409, 1616.

(2) Cf. Herod., 1. 86; Soph., fg. *Ajax Locr.*, 150, et extremas deorum orationes, Soph., *Ajax*, 131 s.; *Philoct.*, 1440 s.; Eurip., *Troad.*, 95 s., etc.

ris pompa ac lætitia tantam sibi præstruebat sollicitudinem; de ipso dicere est quod jactabat : πάθει μάθος. Etsi virginis miseretur (1069), divinanti ea quæ nuper se torquebant (1247) credere recusat, quasi talia alieno ore edita falsa facta sint. Negat ullum sibi vatibus opus esse (1099, cf. Eurip. *Phœnic.*, 921), quibus præter mala nihil curæ est (1131). Dum lyrico cantu res legit potius quam describit Cassandra, diffidit ille; ne quum credit quidem, credere vult (1135), sed illam miratur dementem de se dira canere (1141). Ubi vero iambica oratione tria illa argumenta vates quasi relegit, et remotis verborum ambagibus et involucris, quibus quasi sponsa velamento res prius obtendebatur, denique tota apparet, stupet chorus virginem flagitia occultissima domus scire hospitem (1200), nec jam potest non ab inflammato ore totus pendere et dicta omnia excipere, haurire, horrere. Quam mutato animo et ei credit et sibi timet (1124, 1162)! Ut vates a deo, sic chorus a vate capitur (1213 s.), regitur, quolibet vertitur; nec jam (cf. 252) res, quasi veræ adessent, præqueri abnuit; illam solatur (1302) jamque luget morituram.

Vaticinationis ordinem et partes vidimus; jam pauca addenda de illius laude ac genere et de Cassandræ indole.

In ea *parte laudanda* cum recentiorum judicio veterum memoria mire consentit. Quemadmodum eam e pulcherrimarum rerum numero velut præs-

tantem omnibus nostri eximunt (1), sic veteres nihil esse magis admiratione dignum sæpe confessi sunt. In ipsius argumenti brevitate admonemur de præclaræ partis illius pretio; nihil videlicet sive ad terrorem sive ad misericordiam magis valere (2). Cicero etiam in fabula Attii qua sive Euripidis sive Æschyli imitationem aliquam contineri putandum est, exclamabat (*De div.*, 1, 31) : « *Deus inclusus corpore humano*, jam non Cassandra loquitur. » Deus enim apud Æschylum etsi non oculis cernitur, tamen re vera inducitur et ἀληθῶς οὐδνὲ ἐξηκασμένος (1244) ipse adest, ac sensibus fere ceteris omnibus percipitur; illum mentem virginis invadentem, quatientem invitam fingentemque victam intelligimus; illum fata eruentem et plus quam humane sonantem audimus, sic tamen ut in vate natura humana non omnino removeatur, sed gravissimo labori resistat, si tantum excussisse possit hospitem; dulces interea infelicis patriæ sedes reminiscatur, denique inter tot mala quæ non pronuntiare nequit, sua doleat mortemque refugiat præsentem. Ergo agente deo non homo cessabat, et quod artifices in bacchantibus quidem sæpius, in vaticinantibus raro, si forte unquam, aggressi

(1) Weil, *Aperçu sur Eschyle*. Girard, *Sentiment religieux*, p. 473.

(2) Τοῦτο δὲ τὸ μέρος τοῦ δράματος θαυμάζεται ὡς καὶ ἔκπληξιν ἔχοι καὶ οἶκτον ἱκανόν.

sunt, hic poetica arte utriusque naturæ quodammodo exprimitur discors concordia.

Liquet etiam quam vivide hic *res describantur* quæ oculis subjici nequeant; quæ vero alias possint, qua artis industria et opportunitate temporis multo magis animos moveant. Etenim furiarum chorus domo insidens vel pueri viscera sua escam horrendam patri ministrantes, vel tauro insidiantes juvenca et ignavus leo, vel rex irretitus et uno alteroque ictu palpitans et ingemens, nullo alio modo quam ardenti illa oratione in scænam promi poterant. Quæ vero poterant, quanto plus ponderis habent ubi nondum accidisse intelliguntur, sed in eo esse ut mox accidant? Constat enim vel poetarum græcorum testimonio (1) plus in timendo mali esse quam in ipso illo quod timetur; ruinam impendentem magis torquere, omnia exspectata plus aggravare. Egregiæ sunt in Euripide narrationes; sed nulla apud alium aut novitate formæ aut affectus gravitate hoc præstantissimum exemplar superare potuit.

Quod si ad *genus propium* vaticinationis transibimus, eo ceteris discernenda videbitur quod est *tota furore plena*. Referenda est sane Cassandra inter

(1) Cf. Eurip., frg. *Andromeda*, 132; Soph., *Trachin.*, 952, et frg. trag. Gr. anon., Wagner Did., III, p. 174 : Πολλῷ δὲ κρεῖσσόν ἐστι, μὴ δεδοικότα παθεῖν τὸ μέλλον δεινὸν ἢ δεδοικότα.

illos quos seorsum nominat Pausanias, 1, 34, 4. χρησμολόγων ὅσους ἐξ Ἀπόλλωνος μανῆναι λέγουσι. Vidimus in Odyssea paulo concitatius prædicendi genus; tamen nusquam antea delirantes inducebantur; Darius specie quidem ut defunctus heros in oblivionem quamdam, nullam vero in perturbationem animi incidit. Qua Prometheus etiam ut deus omnino caret, nec futura alio sensu quam præterita intelligit. Incipit hic divinandi modus qui ab ingenti vatis dolore non sejungi posse videtur. Deum, ut diximus, mortali animo cernis incubantem. Quam pulchram mercedem ab Apolline illa accepit! de qua libenter dicas quod de Inachia puella Prometheus (739): πικροῦ δ'ἔκυρσας, ὦ κόρη, τῶν σῶν γάμων μνηστῆρος. Nec mirandum hanc honoris speciem, veri doloris causam, vel in serva (1) mansisse. Furor tamen aut æstuat aut cessat interdum, nec sine arte descriptus est; sed poeta in ipsa libertate carminis certos modos sibi præscripsit, dementiam ratione ac sapientia munivit, rabiem teneri corporis forma induit, minantis terrorem ipsius miserabili casu demulsit, deorum incusationem divini amoris memoria excusavit, denique ita omnia temperavit ut proprio quodam ingenio in inveniendo primum

(1) Notatu digna chori exclamatio, 1084. Conf. Odyss., ρ. 322; Platonem, *Leg.*, VI, 777; et in veteris testamenti prophetam Joel, II, 29. V. *Revue politique*, 7 oct. 1876, p. 348. Notatur quid in Ecclesia olim de re institueretur, *ibid.*, 22 septembre 1876, p. 277.

vitiis careret, quæ in imitando postea vix quisquam effugit. — Cassandra summum corporis dolorem cantu (μελοτυπεῖ, 1153), fletu, ejulatu significat, nec immerito hostiis ad sacrum supplicium (1297) tractis comparatur. Hic vero *nulla cantilenæ illius mentio*, qua toties columnæ rumpentur, quæque tota est de coloris immutatione, vocis trementi sono, comarum horrore, ardore oculorum, totius corporis agitatione. Ea sane actoris, non poetæ officia esse Æschylus judicavit ; *ad interiora* vero *mentis* spectavit, quæ vere æstimanti ac ne credenti quidem talia plus profecto momenti habent. Miraberis sane quomodo æstus ille (1181 s.) obscurus primum et ante tempestatem tacitus subito erumpat, crebro deinde fluctu intumescat, mox in largiores numeros diffluat, donec in omnia temporis spatia late inundet. Non aliter Cassandra primum avertit, et quum videre potest connivet, imo vel quum visa velut digito monstrat (1095, μαρτυρίοισι τοῖσδε, — 1114, τί τόδε φαίνεται) hæret tamen siletque multa; mox ubi deo cogitur parere, rectam agit viam; sublimis fertur ore jam non suo, et large sic omnia pronuntiat ut tandem defluxerint cuncta velamenta, pateat deus. — Vaticinationes nostri judicant liberiore ac componendi genere pæne omnino soluto indigere. Vide quantum dissenserit audacissimus ille veterum poetarum, qui non modo in utraque parte ordine et velut orbe quodam omnia circumegit et tria tempora notavit ut

secundum ea proferrentur rerum imagines, sed etiam ea *certa lege totum devinxit opus* ut vel in iambicis numerum versuum pausarumque locum præscriptum antea ac destinatum esse non temere, modo id in totum intelligas, defendere ausus sit doctissimus gentis nostræ magister, de his rebus idem auctor locupletissimus (1). Cave ne putes his angustis obstrictum vinculis Æschyli ingenium aut jacuisse aut refrixisse; nunquam sublimius elatum cernes, nusquam ita caluit, quod ipso orationis genere demonstratur. Rem obscuram obscuriora verba, eminentem plana, erumpentem ardentia et æstuantia designant; pressus primum, dein copiosus, hic miserans, illic minans omnia poeta novo atque undique circumfuso splendore incendit, et in re sibi non impari se quodammodo vicit.

Cassandræ vero ipsius *indole* nil pulchrius. Si quid in antiqua fabula incommode referretur, poeta sustulit ipsumque Ajacis nomen tacuit; ea contra adjecit quibus vel *purior* vel *fortior* videretur. Quum vates Clytemnæstræ impudentiam detestatur, quis temperet quin ad hanc respiciat advertatque animum quam casta verborum libertate maxima Atridarum flagitia persequatur (1193, 1224, 1258); qua verecundia de Apollinis amore interrogata res-

(1) Weil, *Journal général Inst. publ.*, 1860, p. 186 et s. Composition symétrique, etc. De re ac locis quibus quæstio illa tractata est, vide dissertationem Hirzelii (*De Euripidis in componendis diverbiis arte*, Lips., 1862, præcipue, p. 3 et 4.).

pondeat (1203); præsertim quam molle et bene moratum afferatur novissimum virginis verbum quo optat ut uno ictu decenter cadat (1292). Fortis etiam merito dicetur, quamquam et plura metuit et paratam mortem horret et flebiliter Scamandri oras appellat (1157) quæ se pubescentem non in talia eduxerunt. Vates enim alii quales Amphiaraus et Prometheus, prudentes scientesque ad pestem ante oculos positam sunt profecti; sed neque ducem neque deum cum puella æquum est conferre. Virgines aliæ, quales Macaria atque Iphigenia, voluntariam mortem excepere; sed non illam fœdam ac præsentem cernebant. Cassandra spem omnem vel nullo adstantium desperante abjicit; viam salutis nullam esse (1299) et scit et videt. Observatur oculis et infera illa porta et fatalis machina (1277). Quum fidenti tandem animo fores ingreditur, minime dubium est quin jam conceptam mortem ferat in præcordiis; unde fit et ejus apertior virtus, casus miserabilior, indoles tota sublimior.

Rem ut totam paucis colligam, vaticinationibus in Æschylo nec numerus, nec decor, nec pondus defuit; cujus rei sane præter ingenium poetæ causam hanc probabilem invenies, scilicet trilogiarum formæ commodius eas aptari; quæ quidem positæ aut in prima fabula velut in primo agmine, aut in secunda quemadmodum inter cornua constituitur exercitus robur, cursum actionis paulisper morabantur quo melius deinceps et acrius inde incita-

retur, præteritis conjungebant præsentia, et vera vi dícendi, non ficta prologi specie auditorem docebant quid esset expectandum, vel causarum ratione adhibita ipsa eventa illustrabant. — Omnes vero vaticinationes eo judicio dispositæ sunt eoque colore indutæ, ut interpretes illi deorum antiqua fide vera et pronuntiarent et pronuntiasse putarentur, nedum eorum facultas aut divinatio in aliquam suspicionem caderet. Quemadmodum enim Æschylus nefas duxerit noveum aliquid in religione effutire, sic divinationem non procacibus verbis illusit, aut illudentes eam induxit; maluit quod multo majus erat, luculente et graviter eam exprimere. Quæ vaticinationum esset varietas, vidimus; diversæ quidem vaticinantium indole rerumque prædictarum ratione et ordine compositionis, pares sunt quum sublimitate rerum, tum verborum majestate, ita ut Æschylus quem maximum apud Græcos vel post Homerum Hesiodumque rerum divinarum auctorem putant (1), etiam longe præstantissimus omnium dicendus sit hujus generis interpres, sive ingenii vi propria, sive antiqua pietatis sinceritate.

(1) Welcker, *Gœtterlehre*, II, p. 246.

CAPUT SECUNDUM.

SOPHOCLES.

§ 1.

Quid de divinatione Sophocles protulerit.

Si quis ab Æschylo statim transibit ad Sophoclis fabulas, nusquam eum fugiet vel ex primo ferme versu a grandibus personis et sublimi oratione ad quietiora ingenia et remissum elegantiusque genus descendisse. Ecquid vero in recentiore sit immutatum, quoad *ad religionem ac populares deos pertinet*, dubitari solet. Plerumque uno judicio conjuncta afferuntur utriusque nomina (1); scilicet par illud egregium poetarum et caruisse specie ac vel suspicione belli ab Euripide adversus vulgi superstitiones suscepti, et stare apud Aristophanem (*Ran.*, 790)

(1) De pietate Sophoclis vide Phil. Ditges, *De fati*... 1, quemque laudat ille Jacob, *Quæst. Soph.*, p. 351.

quamvis non eodem gradu, tamen in una parte Euripidi contraria. Imo nonnulli contenderunt optabilem illam poetarum cum corona concordiam nunquam majorem fuisse quam in Sophocle; cujus enim moderatione animi religioni Atheniensium cumulum quemdam adjectum esse (1); deorum in Æschylo imperium, in hoc justitiam vigere; omnes antiquitatis historias grata hujus mollitie mitigatas esse, summa severitate emendatas et in unam pulchrioremque formam adductas; denique quod incepisset Æschylus, Sophoclem vere in dis perfecisse (2).

Hæc et talia si foret hujus loci disserere, facile ut opinor defenderetur evulgata opinione non multum gloriæ Sophoclis esse additum, ex Æschyli laude detractum aliquid, veritatem vero omnino sic obscurari. Non invitus opulentam illam in rebus divinis Æschyli hereditatem non adiit crevitque omnem Sophocles, neque imprudens non ea libertate, quæ Eleusini poetæ fuit, omnem investigavit excussitque deorum antiquitatem, genus, bella, imperia. *Sincerus* quidem fuit *deorum cultor*, sed magis etiam *cautus ac verecundus*. Sub Jove ut ita dicam natus, vix aliquid de Saturno (3) et prole illa antiqua est recordatus. Tetrum aspectum horrendumque rhombum apud eum abjecerunt Furiæ abestque

(1) Bode, *H. D.*, III, 247.

(2) Jacobs, *Vermische Schriften*, III, p. 40.

(3) Eum tamen inter barbarorum deos quasi relegavit, fg. *Androm.*, 457. Cf. Peters, *Theol. Soph.*, XII, p. 39.

Sophocleis fabulis Æschyleus ille ἀλάστωρ (1). Mitior simul ac remota magis ab oculis et actione hominum, recens summi Jovis domus novam nunc sedem tenet, scilicet a Thessalia usque ad altissimam cœli partem translatum Olympum (*OEd. R.*, 867; *Antig.*, 609. Cf. Peters *Th. S.*, XI, p. 37). Res terrenæ a dis e longinquo gubernantur; omnibus autem et factis et animantibus dominatur inconcussum semper imperium Jovis æternis legibus fundatum (*OEd. R.*, 871 : μέγας ἐν τούτοις θεός. Cf. *fg. anom. trag. gr.*, W. 191, p. 183 : ὁ γὰρ θεὸς μέγιστος ἀνθρώποις νόμος), cum justitia consociatum (*OEd. Col.*, 1382 : Δίκη ξύνεδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις νόμοις. *Antig.*, 451 : ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη. Oppone *Moschionem*, fg., 9, W., p. 140, v. 16 : ἦν δ'ὁ μὲν νόμος ταπεινὸς, ἡ Βία δὲ σύνθρονος Διΐ), imo clementia temperatum (*OEd. Col.*, 1268 : Αἰδώς. Cf. Peters *Th. S.*, IX, p. 28 s.).

Non omnia tamen delicatis recentiorum auribus sunt accommodata, neque absunt omnino illius *ætatis vestigia* qua vixit Sophocles, quæque fuit inter Marathonios heroas et philosophorum auditores interjecta. Fragmentum unum ad Orphicos referas (fg. inc., 820, *Vita Arati* : Ἥλιος ... ὅν οἱ σοφοὶ λέγουσι γεννητὴν θεῶν καὶ πατέρα πάντων. V. Lobeck, *Aglaoph.*, I, p. 79). Aliud vero turpe mirum quomodo a pio poeta dici potuerit (de Ganymede, fg. *Colchid.*, 408 : μηροῖς ὑπαίθων τὴν Διὸς τυραννίδα.

(1) Nägelsb., *De relig. Orest.*, p. 34, n. 5.

Cf. quæ de istius modi locis adnotavit Th. H. Martin *Prométhéide*, p. 23 et 24). Denique di aliqui inducuntur inter Euripidis deos ex machina et Homericam religionem medii, sed Homero propiores, in Philocteta Hercules, Minerva in Ajace. Quos quidem elicit Olympo non quod malimus magna rerum humanarum contentio, non quod solet Euripides humile quoddam officium, sed sola verum manifesta necessitas ut sit huic fabulæ finis, illi exordium. Alia jam sophistarum dialecticam sonant. Miratur chorus jussisse Phœbum ut de Laii occisore quæreretur quem ipse nominare posset (*OEd. R.*, 279); Creo autem negat dis curæ esse vel rebellantem puellam vel corpus hostis parricidæ (*Ant.*, 282 s.), eosque defendit a pollutione quæ timetur atque sibi incusatur, omnino tutos esse (*Ant.*, 1044). Neque impietatis crimen omne absterget Creontis pœna. Nam etiam in Voltario specie puniuntur aliquot personæ; re eorum verba omnes maximo clamore audiebant, ediscebant, dictitabant.

Ista tamen ceteris sunt pauciora. Deos neque excusare solet neque arguere Sophocles, sed colit; καὶ γὰρ εἷς ἦν τῶν θεοσεϐεστάτων (Schol. Laur., *Elect.*, 831). Nativa ejus lenitas omnem asperitatem ac maxime criminandi acerbitatem reformidabat; vitæ æqualitas ac veluti concinnitas ad artem transferebatur, et ingenii quies ac mentis felicitas ut in alias, sic in hanc operis partem large redundavit. Cavit ille ne in campum plenum periculis

incurreret. Prioris ætatis admirator suæ tamen sese accommodavit et plane voluit esse suus. Præsertim poeseos memor *non tam ad deos quam ad homines respexit*; artem non religione ac deorum historiis, non philosophorum argutiis, sed omnibus humanæ mentis sensibus fundavit; quantam vim illa rerum aut malarum aut optimarum contineret docuit; homines plerumque, raro deos induxit; ingenii ac virium simul parcus ac conscius intra humanarum rerum fines se et tragœdiam suam coercuit. Idque non male illius fabulis inscribi possit : non hic sæpe deos, non τὰ πρὶν ... πελώρια (*Prom.*, 151) invenies; « hominem pagina cuncta sapit. »

Non illa quantum videri potest vagati sumus disputatione; nam ad *divinationem* tendebamus quam unam ratio ista tragœdiæ pati potuit. Etenim quum di in longinquiorem sedem ac meliorem statum secessissent, hominibus vero daretur et ad agendum et ad loquendum latior locus, ii quidem qui in translatitia ac publica religione inter utramque partem medii deorum voluntatem excipere videbantur et mortalibus interpretari, *vates* utrinque relicti vel exacti, e pristino statu deturbati, aliorum incremento quodammodo pæne perierunt, et vel justa possessione decedentes in terrestrem prorsus plenamque ærumnis fortunam reciderunt. Etsi vigebat illius ætatis indeflexa maturitas, sane in sæculo jam magis exculto et paulum inveteratis litteris ac præcipue tractata hominum vita, vix relinquebatur latior

ad fingendum locus, quum putarent homines voluntatem divinam eventum melius ac facta quam verba exprimere; unde et justis illius interpretibus, id est vatibus, et ipsi choro, quem eamdem aliquando significasse vidimus, plurimum fuit detrahendum. Non Sophoclem Euripidi quemadmodum plures in hac parte simillimum judico (1), sed maxima apparet inter utrumque et Æschylum differentia.

Frequentissima hic est *oraculorum* mentio; quibus constant et *OEdipus Rex*, *OEdipusque Coloneus*; videtur eorumdem interdum fides et auctoritas maxima (2). Quibus in rebus et quo tempore exagitantur nec sine risu memorantur, tum maxime sole illustriora patent, et totus *OEdipus Rex* eorum veritatem confirmat. Tamen nullo modo inde colligi potest voluisse Sophoclem oraculis auctoritatem restituere (3). Imo jam aliqua jactantur quibus mens vel voluntate firmior re labefactata videtur. Dum Jocasta illa calumniatur aperte, a choro quæritur, an ex responsis nonnulla vel unum inveniatur falsum aut infectum. Ergo quam isti nondum habent, sed habere posse confidunt, certam inquirunt causam de oraculis judicandi quid cuique libuisset. Quæ alia esse solet diffidendi

(1) Ut Lübker, *Soph. Theol.*, p. 25. Contra O. Müller, *Vers. Gall.*, II, p. 486, n.

(2) Cf. Lübker, *Soph. Theol.*, p. 43, et Peters, *Theol. Soph.*, p. 14.

(3) Id defendit Ehlinger, *De fati* etc., p. 10 et 18.

ratio, quod majus initium? — De forma oraculorum et laxis angustisve vinclis quibus hominis impediunt libertatem, antea dixi (p. 12-13) et Sophocli Æschylum comparavi. Quæ res hic esset repetenda et latius disputanda, ni poeta sine dubio eam non tanti duxisset, et in talia inveniendo vel componendo multo magis arti suæ et fabularum actioni quam ulli servandæ doctrinæ consuluisset.

Divinationis item auctoritatem non negari potest hic specie servari, re vero maximam partem eversam esse (1). Etsi Jocastæ non credimus futura a Dis cognosci, mortalibus omnibus ignorari (*OE. R.*, 709 et s.), tamen divinationis non eamdem quæ fuit in prioribus agnoscimus naturam; sed ex duabus partibus quas in ea olim videbant, una tantum quam artificiosam dicebant, tenetur, altera naturalis omnino tollitur. Furor animi ac prudens illa rerum insania, denique quidquid sine signo menti immittebatur divinitus, hic desideratur; tacet os illud (στόμα, V. *OE. R.*, 426. *OE. C.*, 603. *Ant.*, 997) quod unus deus aperiebat claudebatve; nec jam ardent illæ faces quibus orationem non poterat vates non incendere; divino numine hic afflatur non vates, sed Œdipus Coloneus quum sepulcri locum investigat (1455 s., 1511, 1540 s.). Fit divinatio *ars* prorsus *humana* cujus certi sunt fines, certa materia, scilicet avium volatus alarumque

(1) Contra Heuser, *De num. div. ap. Soph.*, p. 33.

plausus (*Antig.*, 999 s., 1005 s., Cf. *Sept. adv. Th.* 24 s.) et extorum flammæque aspectus (*Antig.*, ibid.), denique signa omnis generis quæ notari possunt *OE. R.*, 310 : μήτ' ἀπ' οἰωνῶν φάτιν μήτ' εἴ τιν' ἄλλην μαντικῆς ἔχεις ὁδόν. — 396 : οὔτ' ἐκ θεῶν του γνωτόν. — 605 : τερασκόπῳ. Vid. Lübker, *Soph. Theol.*, I, p. 45) sed quia ars est humana ac ceteris non dispar, ipsa etiam et errare et fallere potest. Ipsius igitur est fides incerta. Itaque reges, si quid prætulerit, ut cetera, experiri et æstimare se posse defendunt, et criminibus avaritiæ et perfidiæ vates insequuntur. At enim liquet postea falsa fuisse istius modi crimina; majora quidem sunt et acerbiora quam quæ intra hos angustos fines coerceantur (1). Imo nihil respondetur Œdipo quærenti (391 s.) cur laboranti olim civitati et vates et ars eorum tam inutilis fuerit. Nihil enim responderi poterat præter id quod Euripides (*Helena*, 752) et Aristophanes (*Av.*, 964, τὸ θεῖον ἐνεπόδιζέ με) postea deriserunt. Sed maximi momenti sunt chori verba (*OE. R.*, 500, 504. Cf. 380 : τέχνη τέχνης ὑπερφέρουσα) quæ quocunque modo ea interpreteris (2), fidem arti abrogant, et divinantes in omnium sane numerum reponunt. Quo minus *vaticinantes* admirabimur ab iis quorum consiliis repugnant et *contemni* et omnibus contumeliis vexari (Vide in *Antigone* et in *OEdipo Rege*,

(1) Lübker, *Versammlung... Unterscheid.*, p. 73.
(2) Vide Peters, *Theol. Soph.*, p. 14, n.

Tiresiam et in *Captivis*, fg., 170 ; 171, *Calchantem*). Priusquam os aperuerunt, eodem nomine quo deus honestantur (*OEd. R.*, 284 : ἄνακτ' ἄνακτι ταὔθ' ὁρῶντα. Cf. *Agam.*, 1275 : [Ἀπόλλων] ὁ μάντις μάντιν ἐκπράξας) ; ubi vero responsum aut negant aut contra spem edunt, longe alia audiunt (in *Captivis*, l. l. : στερνόμαντις, ἐνστερνομαντίαις. *OE. R.*, 334 : ὦ κακῶν κάκιστε. 387 : μάγον τοιόνδε μηχανορράφον δόλιον ἀγύρτην) ; se jactant soli Loxiæ parere ; solo ejus auxilio fretos loqui (*OE. R.*, 410. Cf. fg. inc., 818 : Θεὸς ἐμοὶ ἄρχων, θνητῶν δὲ οὐδὲ εἷς. Cf. Eurip., *Bacch.*, 1037 : ὁ Διόνυσος, ὁ Διόνυσος...) ; quam vero manifestum et apertum est meliore ac præsentiore eos egere. Iis mehercule ἀλλὰ δ'ἑκὰς ἀποστατεῖ (*Agam.*, 1103). Nec primas partes, imo tertias ac του ἀγγέλου partibus vix meliores agunt. Æschyleæ igitur Cassandræ Dariove aut Prometheo nulla persona hic æmulatur. Naturas scilicet ab homine alienas et ultra hominem excellentes non attingit poeta ille nostræ imitator. *Raro* etiam *hoc genus adhibuit*. In servatis septem fabulis unus Tiresias bis tantem adest in scenis quarum una CLXII, altera CII versus continent ; carent ambo lyricis quorum is erat in Æschylo splendor et impetus. Nec reliquæ fabulæ fit tanta hujus partis accessio (1) ac paulum abest ut dempta ea, stet

(1) Contra Roux, *Merveilleux, etc.*, p. 151 : « Le rôle de Tirésias est aussi une des conceptions les plus belles et les plus originales de Sophocle et du théâtre grec. »

per se sola fabula. Hic ea pronuntiat Tiresias quæ ab Œdipo qui consulit cuique ille minatur non intelligi possunt. Illic quæ efficere longum est, quum parendi deest tempus, multis iratus verbis imperat. Nihil sane verum et magnum agit in Sophocle divinatio, quasi non impune ab arte tota pendeat. Spectatores aliquando de re omni vates admonet quo plana magis omnia intelligantur; aut verba aliorum elicit, nec suam sed Œdipi vel Creontis indolem ostendit. Arti pristinæ poeta quasi subdiffisus vix aliquem reliquit locum eamque velut perturbatricem rerum omnium aut relegavit aut operuit. Sed ut ei ille, sic ea illi pæne tota defuit.

§ 2.

Quomodo et quales inducantur et sub mortem vaticinans OEdipus Coloneus et vates ille unicus in Œdipo Rege *et in* Antigone *Tiresias.*

Nihil fere in *fragmentis* Sophoclis invenimus præter paucissima damnorum nostrorum vestigia. Docet enim Strabo, 14, p. 675 (Ahr., frg. 984) apud eum *Mopsi* et *Calchantis* certamen hujusque mortem enarratam esse. Fuit etiam ejusdem Ἀμφιαρέως σατυρικός, et Thebani vatis memoria non semel credo in iis quorum nomina erant Ἐπίγονοι et Ἀλκμαίων est renovata. Major quoque fabularum illarum jactura,

quibus Sophocles Æschylum videtur esse secutus, quum Πολυξένης in qua *Achillis umbra* nigræ paludis ripa supra sepulcrum educta, futuros Græcorum casus pronuntiabat (Proclus : προλέγον τὰ συμβησόμενα); tum Αἴακος Λοκροῦ in qua et *Cassandra* et fortasse *Calchas* inducebantur. Sed ante omnes, quantum ad nostram rem pertinet, est desideranda illa cui inscribebatur Πολύϊδος ἢ Μάντεις cujusque argumento tota divinatio continebatur; chorus enim vatum erat, ratio vero fabulæ pæne nobis ignoratur. Præterea confer de *oraculis et divinatione* (Ahrensii numeros sequor) : Νίπτρα (de Dodona), fg., 273 et 276; Δανάη, 153; Ἀλκμαίων, 305 (Dind. ἀδ. δραμ., 707); Οἰκλῆς, 309 (Dind., ἀ. δ. 793); Κρέουσα, 537 (Dind., ἀ. δ., 777); inc. fab., 748 (Dind., 659); — de *quibusdam divinandi generibus* Ἀχαιῶν Σύλλογος 46; inc. fab., 870, 875, 906 (Dind., 835, 840, 875); — de *Amphiarao* : Ἐπίγονοι, 281 (D., ἀ. δ., 781); de *Calchante* : Αἰχμαλώτιδες, 157, 158, 159, 170, 171; de *Musæo* : Τριπτόλεμος, 334 (D., ἀ. δ., 960). Ad *integras* autem *fabulas* venimus.

De *Calchante* cujus responsum in Ajace memoratur (746 et s., Cf. Lübker, *Soph. Th.*, p. 45) satis est locum afferre. — Vatem etiam possemus dicere *OEdipum Coloneum*; in quo si lectori placet, aliquandiu immorabimur. *OEdipo Regi* Coloneus, ut apud omnes constat, rebus et personarum ac maxime Œdipi affectibus est omnino contrarius. Illic summa felicitas malis acerbissimis vertebatur;

hic imo de gradu tollitur ad præsentem immortalitatem miserum ac pæne jam mortuum corpus. Quam mutationem et alia efficiunt, et illa auget quam tunc primum profitetur Œdipus, *futurarum rerum præsensio* quædam et scientia. — Nempe viden primum ut non jam res agatur in urbe intra quam tot fœda erupere, sed ad amœnum nemus, in Coloneo pago quem ingreditur (ἐμβατεύει, 679) Bacchus coluntque Musarum chori (691-92) et Venus aurea (693). Littore quidem nondum tuto senex infelix fruitur; quantum vero interest has inter furentes etiam nunc procellarum reliquias (1242, τόνδε κατάκρας δειναὶ κυματοαγεῖς ἆται κλονέουσιν) quæ miserationem unam movent, et illos ictus quos identidem æger (544, ἐπὶ νόσῳ νόσον) antea subiit, tam dirum quam miserabile humanæ ruinæ documentum! Quæ præterita non hic operit aut dissimulat, sed voluntate (266 et s., 521 et s., 964) excusat, et pluribus quam necesse fuit ærumnis expiavit; jam di illum erigunt (394, νῦν γὰρ θεοί σ' ὀρθοῦσι πρόσθε δ' ὤλλυσαν); imo pœnam si qua gravior fuit, novo pensant favore. Juvenem invidenda aula et solio dejecerunt; senem (395) heu seri! e sordibus errantis vitæ vindicant, oraculis (387 et s., 1300 et s.) commendant, numine consecrant suo. Nec fugit Œdipum sibi factos propitios deos; fatorum vero suorum minime rudis, mortis honestæ locum ac tempus sibi prænuntiat, sedem agnoscit; Phœbum ac Jovem (86, 102, 622,

628, 793) appellat fidensque animi invocat auctores suos. Nunc plura novit quibus velut armatus de amicis et hospitibus bene mereat, inimicis cladem ac furias (1375) minetur; alia velut majora (1526, ἃ δ'ἐξάγιστα μηδὲ κινεῖται λόγῳ) silet. Ergo omnes ('ΑΝΤΙΓ., 1424, τὰ τοῦδε... μαντεύματα. — 1428, οἷ' ἐθέσπισεν. — ΠΟΛΥΝ., 1426 et 1434, — ΘΗΣ. 1516, πείθεις με, πολλὰ γάρ σε θεσπίζονθ' ὁρῶ κοὐψευδόφημα) si quid nuntiat credunt; si quid imperat parent (1758); vivum velut sanctum venerantur; mortuum colunt; etenim in morte non illi quidem ingrata neque gravi (1585, ἀπόνῳ. 1662, ἀλύπητον. 1720, ὀλβίως), quæ prædixerat (95., Cf., 1472) eveniunt; mira (1586) apparent; fulget, tonat, movetur terra; vox auditur morantem vocantis. Ipse quem nullum (393) dicas, vana prisci regis umbra (109, Οἰδίπου τόδ' ἄθλιον εἴδωλον) plurimum valet; alios vagus et cæcus ducit (1542 et 1588); alienum solum egens ditat; sapientem Thesea maxima edocet. — Talem virum non immerito habeas in numero eorum qui spiritu divino afflantur. Loco tamen alio ac vere suo melius, ni fallor, is est reponendus, qui nihil nisi de se suisque ac sua morte est vaticinatus, cujusque indolem forsan satius erat integram illibatamque reservare quam carptim adeo breviterque perstringere. Reprimam igitur et ad præclarum illum veniam *Tiresiam*, cujus in *Œdipo Rege* et in *Antigone* mores et verba præstat inspicere. Quanquam quos dixi mores, ii non adeo apparent. Vix doce-

mur qua arte futura soleat ille præsentire. Inducitur senex cæcus, omnino sapiens ni lacessitus ad irascendum tam promptus esset; quod tamen fabulæ non nocet (1).

Verbis vero ejus vel potius scænæ utriusque compositioni major cura debetur.

Nihil *Œdipo Rege* planius ostendit quantum inter Æschylum et Sophoclem in vaticinationibus intersit. Summam quidem intuenti res eadem hic agi fortasse videbitur quæ in Agamemnone, quoniam utrobique spectatur celerrimum summi regis naufragium. Sed quantopere differunt *locus ordo et totum genus* vaticinationis! In ipso fere exordio Tiresias fata Œdipi explicat. Liquet cur is potissimum locus electus sit. Tot enim malorum rationem ac peractæ vitæ cursus causasque rerum spectantes quamquam breviter edocendi erant. Vaticinatione igitur effectum est quod prologis apud Euripidem, sed hic sane multo majore et vi et motu et audientium voluptate. Ab Æschylea Cassandra omnia flagitia memorabantur quorum debebantur pœnæ; neque deos tantum intelligebatur rebus humanis consulere; sed vox eorum sonabat; numen cui vatem reluctantem intuebantur tantum non præsens adspiciebatur. Sophocleo vati irato quidem sed nequaquam

(1) Vide *Jahrb. f. Phil.*, 1851, sup. 17, p. 54 : Τειρεσίας ὁ προφήτης. De Tiresia... quotquot reperiri potuerunt fontes et dicta collegit et disposuit Franc. Jac. Schœll.

furenti non æque credi potest. Quum fœdissima aperit scelera, non continuo verbis adhibetur fides, nec malis quæ intentat misericordia; eventus exspectatur ne fides et misericordia frustra præreptæ sint. Ergo admonemur, docemur; nescio an non ut in aliis terreamur, nec nos tantæ ruinæ statim misereat. — Quod si attendis partes disponi callide et quamvis inter se implexas singulari facilitate expediri (1), religionis et deorum immemor artem præcipue poetæ admiraberis. Scitum fuit, sane simul ac tragicum ita temperare omnia ut totam rem rex invitus regat, infausta sibi ominetur et sicut re postea (1231), nunc verbis pœnas suas provocet. Catus quidem ille ænigmatum inventor aperta non hic intelligit; nihil arguit in adversario, quin in se mox comperiendum audiat, et spectantibus verior apparet quam Tiresias fortunæ suæ, ut auctor, sic etiam vates. Ex illo quasi palæstrico certamine inferior sane eventu Œdipus evadet, sed in hac scæna primas partes agit, imo pæne solus spectatur; ad eum omnia referuntur ac maxime adnotantur in inconstanti animo varii sensus, quorum ea est vicissitudo ut pæne statim a fiducia ad suspicionem (Cf. 303 et s., 345 et s.) a laudatione ad fastidium (Cf. 303, 304, 314, cum v. 334 et s., 371) a precatione ad minas, mox inde ad sollicitudinem et metum adducatur (437 et s.). Summa

(1) Bernhardy, *G. L.*, III, p. 353, ext.

etenim cura *regis indoles* describitur. *Vatis contra* partibus quasi detrahitur quidquid regi adjectum est; de Tiresia enim ipso *quam pauca!* quem vix audimus itineris pœnitere, mox Œdipi verbis commotum videmus crimina eadem inferenti delegare. — Neminem autem fugit, neminem non juvat quidquid in re ipsoque Œdipi fato obscurum est et anceps (τὸ αἰνιγματῶδες), in *ipsa verba traduci*. Atticam sane subtilitatem delectarunt maxime ambiguæ illæ voces in tota fabula sparsæ et aliter ab aliis et personis et spectatoribus acceptæ, sive vatis quæ vera sed leviter involuta regem fallunt (328, ἐγὼ δ'οὐ μή ποτε τἄμ' ὡς ἂν εἴπω μὴ τά γ' ἐκφήνω κακά. — 337, τὴν σὴν δ'ὁμοῦ ναίουσαν) sive ipsius regis quum imprudens suam indolem exprimit suamque ipse ruinam pronuntiat (V. totam imprecationem, 249 et s., ac maxime, 264, ὡσπερεὶ τοὐμοῦ πατρός. — 94, ἢ καὶ τῆς ἐμῆς ψυχῆς πέρι. — 146, ἢ γὰρ εὐτυχεῖς ... σὺν τῷ θεῷ φανούμεθ' ἢ πεπτωκότες. — 545, μανθάνειν ἐγὼ κακός. — 670, ἢ γῆς ἄτιμον τῆς δ'ἀπωσθῆναι βίᾳ) (1). Scilicet ingeniosi videbantur in iis intelligendis suum ingenium experti; sed non istis sententiarum argutiis plus æquo concedendum est, atque id jure nobis colligendum in *Œdipo rege* divinationem percommode adhibitam vatemque perite inductum, sed nec divinationis nec præclari vatis exprimendi Sophocli consilium fuisse.

(1) Cf. quando et quale sit in Æschylo verborum id genus, p. 46, n.

Est etiam brevior in *Antigone* vaticinatio, extrema scilicet fabula collocata ut tempus inde demonstretur, quo fortuna Creontis quæque sua esse confidit jam ἐπὶ ξυροῦ τύχης versantur, moxque funditus versa ruent omnia. Nonnulla quidem quæ nuper in *OEdipo* desideravimus, hic abundant; divinationis certe genera ea cura describuntur ut fere signorum nulla omittantur. Imo additur (999) templi celeberrimi et illo tempore adhuc stantis (1) mentio, quo senex auguria captabat. — Liquet autem vel versuum mediocri numero (CII) vatis indolem vix attingi potuisse. Propria potius est hujus scænæ et in toto genere et in ipsa compositione *simplicitas quædam*, quæ antiquam, ut opinor, tragœdiæ formam sonat. Nemo non videt duas partes esse; priorem qua vates Creontem amice moneat et periculi remedia demonstret; alteram qua male acceptus totius domus ruinam prædicat quæ jam nullo modo vitari potest. Hic non audientis regis, sed vatis immutatur animus, qui quum commodus ultro venerit (1031 , εὖ σοι φρονήσας. Cf. Hom. passim, εὐφρονῶν) et caute et ore remissiore inceperit (1029, ἀλλ' εἶκε τῷ θανόντι), eo magis calumnia regis læditur, et misericordiæ expers, aliquot versiculis fastus illos dejicit. Sed hic etiam ad regem ejusque affectus, non ad vatem advertimus, et qui

(1) Pausan., IX; XVI, 1. Cf. Eurip., *Bacch.*, 347, et Pausan., *Att.*, XX, et *Cor.*, II.

finis pertinaciæ, quæ cupiditatis pœna futura sit opperimur. Nihil aliud vates quam quæ suasit filius patri, majore auctoritate iterat. Per eum de homine antea prudente experiuntur post multa alia hoc ultimum di (1) si qua ad justitiam reduci possit. Quod ubi frustra fuit, et nuntiatur et sequitur non cæca nec claudo pede pœna.

Ut omnia quæ dixi de Sophocle concludam, studuit humanam ille naturam effingere, et intimos personarum singularum sensus persequi, neque in illa arte quidquam vel neglexit vel tractavit male (2). Divinationem vero vix tolerabilem censuit, et in fabulis suis vix toleravit. Partem quidem ejus unam, qua summus inerat et animi et orationis impetus, velut suspectam dementiæque propiorem omnino sustulit; alteram ita tenuit ut si quando utile esset, ad exprimendam alicujus personæ naturam aut subitam in actione mutationem demonstrandam adhiberetur; sed nullo modo ipsius artis imaginem aliquam sibi proposuit, neque veros vates inducere voluit. Unus adest Tiresias vix quidem in Æschylo nominatus, hic indole quadam indutus, sed ad tertias remotus partes, neque ullo modo Æschyleis personis comparandus. Sed non tanti est, quum summa illius veritas et præstantia elegantissima personarum descriptione, sta-

(1) Ott. Müller, in *Vers. Gall.*, II, p. 461.

(2) Jacobs, *Nachtræge zu Sülzers allgem. Theorie*, IV, p. 111.

bili partium omnium concordia et æquabili rerum et orationis tenore consistit, fateri (pace ejus ac maxime eum amantium dicam) non in Sophocle eamdem quam in Æschylo e naturali quodam fonte scatere pietatem, neque hic divinationem colore vero ac suo lumine resplendere.

CAPUT TERTIUM.

EURIPIDES.

§ 1.

Quid de divinatione simul ac dis popularibus senserit Euripides.

Quum hominum de dis omnis pervertitur opinio, fieri nequit quin divinationis fides atque auctoritas convellatur. Popularis enim religionis hæc pars hostem prima sentire solet, neque nisi ab illius insectatoribus apud veteres ferme impugnabatur. Quamobrem, ut satis liqueat quid de divinatione immutaverit Euripides, quoque modo eam adhibuerit vel potius exagitaverit, necesse caput ipsum rei repetere et *quid novum ille in religione tentaverit* quam brevissime memorare.

Huc devertentibus sæpius hæsit aqua facillimusque multorum error fuit quia in confusam struem et lancem quamdam saturam male con-

gererentur cum his quæ senserit quidquid disserunt inductæ personæ, sive sua quæque indole sive aliquo argumentandi ambitu, et ut ipse ait εἰς λόγων ἀγῶνα (1). Ea apud Euripidem magis quam apud quemquam intermixta invenimus. Sunt enim quæ nullo modo a re et persona avocare debeas; verbi causa Bellerophontis impiæ voces (frg. 293). Sunt quæ quanquam non a re aliena melius inde avocentur, quia stant per se ipsa extra opus, et ad genus quodammodo pertinent, sicut ea quæ de vatibus in *Helena* aliisque fabulis, de dis in *Ione* jactantur; sunt quæ non alia ratione quam sejuncta intelligi possint aut debeant, ut in *Bacchis* : 201, πατρίους παραδοχάς. Alia ipse non pluris duxit quam ea quæ ad agendam fabulam hinc illinc comparabat (Ita *de fato*. Vid. Bernhardy, *Ersch. u. Gruber*,

(1) Frg. *Antiopa* (213)... δισσῶν λόγων ἀγῶνα. Cf. *Alcmena*, frg. 93, v. 2 et 6, et *Dictys*, fg. 346 : λόγων εἰς ἅμιλλαν. Ista aliis seposuerant veteres : Lucianus, *Jup. trag.*, 41 : ἔπει καθ'ἑαυτὸν ὁπόταν ὁ Εὐριπίδης, μηδὲν ἐπειγούσης τῆς χρείας τῶν δραμάτων, τὰ δοκοῦντά οἱ λέγῃ. — Schol. *Medea*, 300 : τοῦτο οὐ δογματίζων ὁ ποιητής φησιν, ἀλλ' ἁρμοζόμενος πρὸς τὸ ὑφεστηκὸς ἦθος. Maximum sane est periculum ac vere omnino importunum ne in una quaque voce mens poetæ quæratur, quum multa in fabularum personis ex propriis illarum affectibus manent, imo ad eos significantius effingendos omnia vel notissima (V. Dioscurorum mortem *Helen.*, 142 et s.) immutare non dubitet Euripides, nedum sensa sua ob eamdem causam non obscuraverit aut omiserit. — Vide etiam quam ingeniose Dronkeus (*Vorstell.*, in capite tertio, p. 63) quod Sophoclis erat ab eo quod non ei tribuendum, separaverit.

p. 148, n. 32). Denique multis subest mera quædam εἰρωνεία (V. Stroblum, *Euripides*, p. 9, nota). Imo quæ loqui videtur Euripides, sæpissime ut voluit legenda sunt, scilicet non tanquam ista vera judicet, sed ut dubia et majore quam solet digna existimatione. Quæ omnia quanquam inter se implicata sunt, summa diligentia sunt segreganda et in certa genera referenda. — Ceterum ne difficultatem verbis augeamus, quædam interdum per se satis loquuntur. Quæ enim poetæ sententiam exprimunt, ea semper fere habent sonum quemdam suum quo agnoscantur. Non ei immerito tribuuntur quæ proponuntur sæpius, ac crebro et graviter iterantur; neque ullus est dubitationi locus quum personæ alicui contraria omnino ejus aut ætati aut indoli tribuuntur (*Bacch.*, 201 s. Cf. fragmenta. *Melanippes*, 483 s., et Nægelsbach, *N. Th.*, p. 438); nomen illa quidem et occasionem præbuit; vere silet; auditur poeta. Lex vero ista sit firmissima plus auctoritatis esse in servatis fabulis quam in deperditis (1), plus etiam in omni fabulæ consilio quam in uno aut altero ejusdem truncato versu (2); denique si quando id fieri potuerit, quod sane raro evenit, ad fabulæ ætatem est respiciendum. Ea vere nova legendi adhibita ratione et Euripide in suos mores suamque ætatem

(1) Vide quam strigosi, quam elumbes, quam falsi denique appareant, si fragmentis suis æstimentur, Æschylus et Sophocles.

(2) Cf. Lübker, *Th. Eurip.*, de Schneithero, p. 4.

restituto, incipit de poeta, nostræ quidem ætatis haud adeo absimili, novum etiam judicium vel potius admiratio nova. Primum videbimus quid de dis sentirent Euripidis æquales, postea quid ipse senserit, vel potius in quas contrarias vitæ decursu præcipitaverit sententias.

Euripides ab Æschylo et Sophocle distat, si computes annos, vix spatio viginti annorum; si ad varios animi sensus attendas, tantum quantum distabant etiam *ejus æquales* a proavis suis, id est quam plurimum. Non enim Helenam, non Iphigeniam spectarunt Marathonii viri, neque illi qui cantu ac festa saltatione Salaminiam laudem celebraverant, sed homines callidissimi ingenii qui omnia scrutabantur et summa aviditate novum aliquid et sibi inauditum et exspectare et haurire solebant. Tum cito quodam cursu « non tam procedentes quam evolantes(1) » abripiebantur et animi et artes, neque ulla relinquebatur vel resistentibus mora. Non restitit primum Euripides, sed æquales partim secutus est, partim anteivit. Hinc silva illa defluxit sententiarum, et assiduæ controversiæ, et dialecticæ captiones et variæ orationis deliciæ, denique dulcia in omni genere vitia, quæ nescio an magis eos delectarint quam nobis displiceant; sed maxime hinc gliscebat universa rerum divinarum immutatio quæ hujus temporis propria est.

(1) Zambaldi, *Euripides*, prima linea.

Quibus enim annis maximo sumptu, miraque omnium artium concordia tot pulcherrima dis templa exstructa sunt, iisdem religio aut jam tota animis excussa erat, aut in dies imminui cœperat. Exoleverant quidem poetæ, « ante doctrinam deos spernentem nati (1); » hunc admirabantur acumine ingenii omnia disturbantem, quidquid fieri non posse putabat respuentem eludentemque; de dis tradita, quoties occasio dabatur, aut tenui quavis obtenta persona aut pæne proprio nomine perpendentem arguentemque, superstitioni omni manum injicientem, atque, ut videbatur, deorum istorum omni exsultantem incredulitate; ad alium nescio quem respicientem insignem virtute ac justitia deum. Non singula equidem percensebo; satis sit universum genus (2) breviter describere.

Xenophanis quidem et Pindari exempla secutus (3), *incusabat* ille præcipue quæ sæva ac vere sua barbari homines in deos traduxerant (*Iphig. Taur.*, 390) quæque vana gentili quadam gloria aliquot familiæ jactabant de auctoribus suis (*Bacch.*, 181, 336, 1250. *Heraclidæ*, 871 s.); tum quidquid impia quadam lascivia mentiti sunt poetæ (*Iphig. Aul.*, 798 s.; *Herc. fur.*, 1315, 1346; *Hippol.*, 452.) Non enim a Platone prius poetarum illa cohors aut re-

(1) T. Livius, X, 40.

(2) De quo vide Nægelsbachium, Luebkerum et Stroblum.

(3) V. Nägelsb., *Nachhom. Theol.*, p. 44 et 428.

prehensa fuit aut e civitate exterminata, quam a suis et partis suæ maximis accusata. Damnat igitur Euripides quidquid illi somniarunt (1), cœli discordiam (*Hipp.*, 1328 s.), deorum ignorantiam (*Herc. fur.*, 347), turpiter (Fg. *Belleroph.*, 300, v. 4) aut injuste facta (*Herc. fur.*, 347, *Ion.*, 254), perfidiam, superbiam (*Hipp.*, 7), iras (*Bacch.*, 1348), ultiones vel inter sese (*Hipp.*, 1420), vel in homines paratas (*Androm.*, 1164. *Herc. fur.*, 843 et s. et 1308 s., *Bacch.*, 1249 et 1347. *Hipp.*, 10 et s.), stupra, adulteria et in omni genere libidines (*Hipp.*, 452 s. *Herc. fur.*, 1316 et 1341 s. Fg. *Antiop.*, 186), sceleratas dapes (*Iphig. Taur.*, 386 s.), jussa impia (*El.*, 1246. *Or.*, 417), sacraque sanguine humano perfusa (*Iphig. Taur.*, 384). Quomodo veri sint dii, si humana prudentia vincantur (*Herc. fur.*, 342. *Hipp.*, 120, *Ion.*, 253 s., 442 s.), vel quomodo penes illos omnia sint qui sæpissime apud se non sunt? Inter deos igitur credendum est nihil esse mali (*Iphig. Taur.*, 391); eorum nullum alii imperare aut ope alterius indigere (*Herc.*, 1344); nullum vetitos insequi hymenæos (*ibid.*, 1341), aut sanctitate et justitia non excellere. Ne cui autem mirum videatur Euripidem materiam illam, imo arcem quamdam poeticam tanta diligentia destruxisse; superiorum vatum insistebat vestigiis vel in earum

(1) Cf. Xenophanem poetas accusantem apud. Sextum Empiricum, *Adv. Matth.*, I, 289.

operibus carpendis; quippe qui semper soliti sint quidquid novum de hominum deorumque aut terrarum natura inventum erat et ab aliis aut a se melius excogitabatur, æquales docere (1) et in scænam uberrimum ex eruditione fontem derivare. Item Euripides velut quasdam auxiliatrices tragicæ artis quum philosophiam, tum naturæ doctrinam adhibebat, ut in expugnanda religione vetus aurum signaret nove, et pro asso illo sole quo priores contenti sibi vigere videbantur, nitidum unctumque poneret periculo suo, periculo ipsius artis.

At enim deos quales a poetis aliis traditi sunt *ipse etiam induxit.* — Ita sane; sed eo modo ut eos fictos plane ac commentitios significaret. Quoniam enim nulla esse potest licentia, neque in falsa aut inconstanti doctrina ullus error, deos summa libertate tractavit, et omnis securus religionis nunc philosophice elevavit, nunc poetice ornatos scænæ suæ accommodavit, modo pæne humana indole induit fecitque vegetos Homericis similiores, quos heroas ætate adultos dicas, vix supra hominem valentes, neque adeo natura superbientes, imo interdum dociles usque ad philosophandum (*Bacch.*, 641); modo velut commodos ad ministrandum pueros idem e postscænio emisit, ubi ad concludendam fabulam

(1) Eos merito Hebraicis vatibus confert Welckerus, *Griech. Gœtterlehre*, II, 87. Cf. Aristoph., *Ran.*, 1054 s., et Lycurg., *Adv. Leocr.*, 102.

vel ad difficiles nodos expediendum iis opus erat, nec paulo magis æstimavit quam speciosa poeticæ artis crepundia.

Rogabimur credo ecquem finxerit aliquando aut adumbraverit *excelsiorem deum*. Hic vero cavendum ne contra rei ipsius naturam implexa solvere et obscura pandere velimus, neve nimis inique de Euripidis æqualibus judicemus, aut acrem illum superstitionis adversarium faciamus pæne divinando ultra humani ingenii vires longe processisse. Illum concedo nova tempora præsensisse et ætati suæ mente præcurrisse; sed in hoc loco placet conjecturæ dari quam minimum (1). Di sæpe *quicumque sint* ab Euripide invocantur; *Orest.*, 418 : Θεοῖς ὅ τι ποτ'εἰσὶν οἱ θεοί. *Troad.*, 885 : ὅστις ποτ'εἶ σύ ... Ζεύς. *Herc. fur.*, 1263 : Ζεὺς δ'ὅστις ὁ Ζεύς. *Bacch.*, 895 : ὅ τι ποτ' ἄρα τὸ δαιμόνιον. Frg. *Melan.*, 483 : Ζεὺς ὅστις ὁ Ζεύς. Frg. *inc. fab.*, 967, 2 : Ζεὺς εἴτ Αἴδης ὀνομαζόμενος στέργεις. Sed eamdem formam dicendi apud Æschylum invenimus. Numen fortasse dei animo gustavit, quem sibi fingebat unum, æternum, prudentia (2) æque ac justitia (3) excellentem,

(1) Caret nimium argumentis præclara illa Walckenaeri opinio. V. Diatribe, p. 36. — De locis quibus poeta ad Orphicos respicit vide Girard, *Rev. Deux-Mondes*, 15 nov. 78, p. 402.

(2) Wyttembachius Euripidis censet hunc versum frg. anon. trag., gr. 114. Wagner, p. 174 : ὦ Ζεῦ τίς εἶναί φησι σοῦ σοφώτερος.

(3) *Troad.*, 888, κατὰ δίκην τὰ θνήτ'ἄγεις.

summum creatorem moderatoremque orbis; sed in eo nihil tam perspicuum vidit quam *intelligendi ejus difficultatem* (δυστόπαστος εἰδέναι *Troad.*, 885; *Hel.*, 1138, et s. : Cf. fg. Eurip., *Philoct.*, fg. 788, et Iophontem, fg. 2, p. 76 b. μᾶλλον ὅστις εἰδέναι τὰ τῶν θεῶν ζητεῖ, τοσούτῳ μᾶλλον ἧσσον εἴσεται); quod ipse exemplo suo probavit; nempe pristinam religionem tanta vehementia insectatus, postea retrorsum vela dedit *patriosque deos* restituere conatus est.

Laudat quidem *in Bacchis* quod fuit ejus novissimum opus, eos qui non supra leges sapiunt (891, οὐ γὰρ κρεῖσσόν ποτε τῶν νόμων γιγνώσκειν χρὴ καὶ μελετᾶν), neque cum dis quidquam litigant (200, οὐδὲν σοφιζόμεσθα τοῖσι δαίμοσι); sed eorum sacra sana mente venerantur (887, μὴ τὰ θεῶν αὔξοντας σὺν μαινομένᾳ δόξᾳ) et omni subtilitate, omni ætati valentiora ea putant, quæ de dis tradita sunt (201, πατρίους παραδοχὰς ἅσθ' ὁμήλικας χρόνῳ κεκτήμεθ', οὐδεὶς αὐτὰ καταβαλεῖ λόγος, οὐδ' εἰ δι' ἄκρων τὸ σοφὸν εὕρηται φρενῶν), invicta quidem audaciæ humanæ, legibus jam dudum præscripta, natura ipsa constituta (895, τό τ' ἐν χρόνῳ μακρῷ νόμιμον ἀεὶ φύσει τε πεφυκός); imo in iis ex procella portum inveniunt (903), felicesque eorum beneficio vitam agunt sanctiorem, et virtutibus tanquam thyaso mentem suam exornant (73, ὦ μάκαρ ὅστις εὐδαίμων et s.). Etenim singulari contrarietate quam nemo non mirabitur, amborum poetarum qui fabulosam illam ætatem descripsere, scilicet Æschyli Euripidisque, pulcherrimæ quidem

ξυνωρίδος, unus quem pium magis constantioremque in pristina fide fuisse inter omnes convenit, Jovem quemdam iniquum et impotentem expressit; alter quem omnino liberiorem religione deorumque patriorum exagitatorem faciunt, non modo eorum sarta tecta defendit, sed sacra a philosophis maxime reprehensa et recentioribus suspecta celebravit. Quæ fuit igitur Euripidi tantæ inconstantiæ causa? Nam priorem de dis opinionem non abjudicavit ille speciosi officii causa (1), neque ullo credulæ sævæque plebeculæ timore adductus, quoniam apud Archelaum degebat, et in nonnullis aliarum fabularum locis jam eamdem sententiam invenias. Vide quos affert Nægelsbachius *N. T.*, p. 463. Quæ difficultas ut expediatur, ad temporum immutationem communemque ætatis sententiam respiciendum, et primum historia, deinde voluntas Euripidis diligentius est expendenda.

Quum primum auspicaretur suum opus poeta, cavendum sane fuit ne Atheniensium ingenium in pulcherrimarum rerum admiratione langueret, et præterita gloria præteritisque opibus contentum, sibi male diffisum, vestigiis suis staret, vel potius infra suas vires famamque suam recederet. Tum Euripides impius novarumque rerum prave studiosus fortasse audivit. Quum vero extremam vitæ metam appropinquaret, omnino alia populo vitanda

(1) Vid. Patin, IV, 241-242.

videbantur, id est ne in vana ac periculosa lasciviret et pro veris et ingeniosis omnia existimaret nova. *Utrique tempori sese noster accommodavit*, et æqualium mentibus ut calcaria prius, sic postea frena admovit. Ubi publicum adfuit periculum et homines qui quasi officinas instruxerant sapientiæ, religionem legesque libidini suæ substraverunt et eas specie corrigendi funditus everterunt, statumque omnem labefactarunt civitatis, quum ad eos accessit clamor et approbatio populi eorumque meraca doctrina avide hausta velut ebrii omnes insaniebant longeque a patriis institutis et rapiebantur et vagabantur, Euripides ab insolenti parte statim discessit, et quasi fulmine quodam afflatus, vel potius uni æquus virtuti atque ejus amicus non jam deos, quorum fuerat tam parcus cultor et infrequens, sed vanos eorum insectatores lacessivit, eorumque illusit τὸ σοφόν illud quod sapientia caret, superbia nititur, omnia scelera ac flagitia excusat (*Bacch.*, 200, 203, 655, 1257). Quæ in populo atheniensi toties hac ætate animadvertitur inconstantia, sed subita et omnis expers vel rationis vel humanitatis, illius sed justæ ac prudentis non Euripidem puduit post multos annos, ut patriæ auxiliaretur. Neque id omnino ejus *indoli* repugnavit. Græcus enim admodum erat, id est ea gente ubi commendabantur a poetis tres illæ virtutes quibus pariter Di parentesque ac leges colendæ videbantur; quarum conjunctione fiebat florentissima ingenii

humani corona (Fg. Eurip., *Antiopæ*, 221. Cf. fg. *Archelai*, 262 et Dicæogenem, fg. 2, Wagner, p. 144). Neque certa ac destinata doctrina alios informare studuerat. Multa proposuit, præstitit nihil; semper quidem se et alios interrogavit, et ad meliora præsentibus respexit; neque fuit illo tempore fons ullus veritatis unde aliqua non hauriret, neque in vita aut in civitate quidquam quod non scrutaretur aut excuteret; sed multo magis rerum exstitit magnus opinator quam vere philosophus, neque ratione quadam disciplinæ (1), sed acerrima nova discendi cupiditate tota ejus indoles continetur. Sic deos populares et incusavit et tutatus est, et in utraque tam diversa ratione æquabilem inter extrema cursum quantum potuit, tenuit, atque in deorum commendatione credulus parum, in ipsa impietate quodammodo pius, libertate doctrinam, doctrina superstitionem coercuit.

Quæ si dilucide exposuimus suntque perspecta satis, nunc brevissimum est ac facillimum Euripidis sententiam omnem *de divinatione* colligere. In qua non ut in reliqua religione occurrebant quæ moribus interdum obessent, prodessent vero sæpius; quorum igitur partem exigere, partem vero retinere oportebat. In divinatione Euripides, verus Anaxagoræ discipulus (V. Nægelsb., *N. T.*, p. 429),

(1) Mihi quidem errare videntur et *Stroblus* quum omnia serio et angusto quodam sensu vel contra veram poetæ sententiam intelligit, et *Luebkerus* quum e fabulis Euripideis certam quamdam doctrinam elicere conatur. V. Bernhardy, *L. G.*, III, p. 404.

nihil sanum aut utile esse judicavit, neque quidquam putavit rationi tam contrarium quam furorem. (*Troad.*, 1284 ; ἐνθουσιᾶς, δύστηνε); hæc omnia quidem de futuris jactata partim errore, partim superstitione suscipi ; ista arte quot obductæ animis tenebræ, qui invecti metus ! quid tandem scænico philosopho (1) cum istis hominibus intererat qui aut specie aut re ipsa lymphati ora audientibus sublinebant et cæcæ turbæ credulitatem ludificabantur eamque sibi quæstui esse volebant? Quoties nequissimos homines viderat hinc illinc oracula et conjecturas et terrificas vaticinationes jactando ad exsilium aut ad mortem viros adduxisse sapientissimos? Paucis quidem exceptis locis, quibus poeta non tam rem ipsam quam pietatem heroum a nimia sui fidentia abhorrentium collaudat (*Supp.*, 155 et s. *Hipp.*, 1055 et 1321. *Phœn.*, 766 et s. *Rhes.*, 28, 30. *Heracl.*, 340 et 401) divinationem ut quæ deorum cultu separari possit omnino aut omisit (vide quotus quisque in tot fabulis vates inductus sit), aut elevavit (2), neque ejus carpendæ opportunitatem ullam non est sectatus (*Hel.*, 744 et s., 753 et s. *Elect.*, 400. *Iphig. Aul.*, 956 et s. *Iphig. Taur.*, 571 et s.).

Oraculis quidem, quanquam eorum fides paulum

(1) Vitruv., *præf.*, VIII. Cf. Clem. Alex., *Strom.*, V, 10, 71, p. 688 P. : ὁ ἐπὶ τῆς σκηνῆς φιλοσόφος, et Athen., XIII, p. 561 : τοῦ σκηνικοῦ φιλοσόφου.

(2) Vide Moncourt, *De parte satirica et comica in tragœdiis Euripidis.* Divione. 1851, p. 24, et caput secundum.

hic imminuta est, æquum censet hominem parere, modo sensu vero intelligantur nec justitiæ obsonent. Ex eorum autem obscuritate vel incerto eventu ducit, ut Sophocles, quidquid ad fabularum compositionem aut orationis gratiam valet (1). Libere vero agendi potestatem contendit ubique in vita mortalibus consistere ; scelus nunquam veros jussisse deos ; falsa quidem et ficta omnino judicanda quæcunque oracula aut cælestium mandata aut dira fata scelerati ac libidinosi homines turpe factis et nefandis moribus prætenderunt ; quippe quorum fuerit sua cuique deus dira cupido (2). Quidquid peccatum est, quacumque de causa homines se peccasse querantur, æque damnandum pronuntiat. Quod quum defendit Euripides, severitatem illam et vim cogitandi dicendique est assecutus quam recentiorum nemo unquam superavit.

Id vero potissimum defendit *deorum esse futura scire* (*Phœn.*, 955 s.) quæ soli efficere possunt (Cf.

(1) Verbi causa *Iphig. Taur.*, 575, δλωλεν ὡς δλωλε τοῖς εἰδόσιν, etc. — Cf. de oraculorum divitiis *Iph. Taur.*, 1275 et s., et de oraculis quibus injustitiæ aut erroris crimen objicitur *Elect.* 979, 1245.

(2) Cf. Helenæ versibus Schaxperium in versione gallica (Guizot, V, p. 23, *Le roi Lear*, I, 2, Edmond : « Voilà bien la singulière impertinence du monde ! Notre fortune se trouve-t-elle malade souvent par une plénitude de mauvaise conduite, nous accusons de nos désastres le soleil, la lune et les étoiles, comme si nous étions infâmes par nécessité, imbéciles par une impérieuse volonté du ciel, etc. »

frg. inc. fab. 1038); *mortalium* vero *nullius* ventura prænuntiare; stultam quidem esse opinionem extorum fisso capite aut alitum volatu aut oscinum cantu (Cf. Xenoph., *Apol. Socr.*, 13 : τῶν τοῖς ὄρνισιν ἀνατιθέντων τὴν τῶν θεῶν δύναμιν) fata sua cuique constare (*Hel.*, 746 et s.); nec veræ pietatis esse ea insequi; optime consulere non eum qui in fumo sacrorum et interrogandis flammulis cesset (*Hel.*, 756, Cf. fg. 730, 1057 et 1060), sed qui deos in faciendo oret laudanda, atque prudentiam ac justitiam sequendo illos sibi conciliet; veros quidem vates forsan olim fuisse quorum pietatem et natura informavisset et voluntas servavisset, menti autem subsideret magnum justitiæ sacrarium (*Hel.*, 998 et s.); hariolos vero, sola hominum credulitate fretos, quæstu aut sordida aliqua causa omnia dirigere, et sibi ignorata tortuose proferre (frg. 969 et 788). Si quis eorum verus sit, necesse esse et non credatur ei (frg. 63) et sit miserrimus (*Phœn.*, 955, cf. frg. 630), quod sane summa cura fugiunt; verba ergo illos dare, fumum inhianti popello vendere, omnia nescire, multa effutire, fingere plurima, subtiliter citra humanii ingenii vires aliqua conjicere (1), hanc esse summam divinationis. Ea autem fuit his annis mala generis totius

(1) Frg. 944. Illud Bernhardyus aliter interpretatur, *G. L.*, III, p. 427 ; mecum facit Pabstius de diis græcorum, etc., p. 3. Adverte in deridendis eorum si quid erraverunt excusationibus miram Euripidis (*Hel.*, 752) et Aristophanis (*Aves*, 965) concordiam.

existimatio ut si fabularum antiquarum vates aliquando inducti essent, non modo quod jam vidimus in Sophocle (1), omnibus contumeliis mulctarentur, sed quamvis innoxii ne reluctarentur quidem, sed taciti demisso capite ultro recederent, imo quasi metuerent ne artis infamia sibi noceret, monerent ultro ut aliquando sibi crederetur, quoniam illa non essent usuri (*Troad.*, 366 : ἔνθεος μὲν ἀλλ' ὅμως τοσόνδε γ' ἔξω στήσομαι βακχευμάτων. *Bacch.*, 368 : μαντικῇ μὲν οὐ λέγω, τοῖς πράγμασιν δέ. Quibus adde illa ambigua quæ sequuntur ; μῶρα γὰρ μῶρος λέγει). Alibi ea proponuntur de vaticinatione quibus acceptis vatem dicendum sit quidquid di jubeant non scire, sed decernere. In *Theonoe* (2), quæ plus etiam quam Homericus Helenus valet, nihil clarius. Cui quæ sibi Horatius (*Carm.* III, 3.) sed alio sensu libenter objiciamus : « Quo... tendis? desine pervicax referre *sermonem deorum* (3). » Ea sane re fuisse negat poeta quæ tam prodigiosa verbis affirmat.

Deos patrios, quanquam corrigere voluit, retinebat Euripides ; divinationem vero, quantum in eo fuit, sustulit et ab aliis tolli explodique lætatus est. Ergo nulla est ejus in fabulis mentio, cui non sta-

(1) Major mihi quam Luebkero (*Eurip. Theol.*, p. 25) videtur de ea re utriusque poetæ differentia.

(2) *Hel.*, 887, τέλος δ'ἐφ'ἡμῖν ...κτλ.

(3) Conf. sis etiam Schaxpearium (*Le roi Lear*, V, 3, p. 114) : « Nous expliquerons le secret des choses comme si nous étions les *espions des dieux*. »

tim aliquod crimen insuatur; nullus inducitur vates quin velut deprensus hostis millies undecunque figatur. Sæpe dictum est in nostro poetam alio, alio philosophum spectare. Quantum ad divinationem pertinet, omnino sane philosopho non semper sine periculo artis poeta concessit. Vidimus quas divitias e re Æschylus erueret; hic ne paupertatem quidem habemus. Unam credo in vatibus vidit utilitatem Euripides, scilicet per eos prologum quemdam mediæ fabulæ inseri posse, spectantesque doceri quo illa jam sit inclinatura. Ne asse quidem illos illorumque artem æstimavit carius. Quod in singulis facile demonstrabitur.

§ 2.

Quomodo et quales inducantur vates alii in alis fabulis, sed præcipue in Phœnissis *et in* Bacchis TIRESIAS, *in* Troadibus CASSANDRA.

Fragmenta vel paucissima vel potius nihil habent quod ad hanc rem pertineat. Mentio fit oraculorum in *Danaes* prologo, v. 10; Wagner, p. 691; librorum quibus oracula colliguntur, in frag. 625; augurii, in fg. 631; vaticinii, in fg. 781. Prædicta elevantur, in fg. 788 et 1038. Nominatur Φοιβεία γυνή, fg. 1063. Adde fragmenta 484 de Hippo Chironis filia et 476 de Jovis mystis, quibus constat Cretum chorus; denique 63 et 65, Cassandræ verba. Protinus igitur ad integras fabulas venimus.

Non, ut opinor, operæ pretium est in illa *Polydori* umbra morari quæ non magis ex inferis elicitur, quam tot di Olympo descendunt. Tota est supellex illa tragicæ non artis, sed machinationis.

Meliora quædam in *Polymnestore*, qui perfossis oculis ac morti propior futura Agamemnonis et Hecubæ fata videt et pronuntiat; non ea tamen peculiare studium desiderant.

In *Theonoe* species placet honesta, sed ut dixi, nulla est ni fallor veritas. — Primo aspectu mulierem admiraris cujus indoles Theanus memoriam facit, solenni gradu in summo rerum discrimine incedentem, ac ritu suo facibus concussis et sulphuris suffitu templa ætheris purgantem, quo puriorem auram a cœlo accipiat, gravissimis Ægypti ædituis comparandam, æquam dis suis sacerdotem (*Helen.*, 819), in qua habitat velut in sacrario justitia (1002). — Mox vero ubi audis eamdem deorum contentiones sermonesque referentem, et defendentem suum esse decernere utri parti auxilietur et utra victura sit (*Ibid.*, 887, τέλος δ'ἐφ' ἡμῖν... 889, εἴτ' αὖ μεθ' Ἥρας στᾶσα... 1006, ἐς ταὐτὸν οἴσω ψῆφον), et res et personas et cum dis vatem, denique ista omnia intelligis ita ficta esse, ut Helena et Menelaus ad extremum tempus adducti, longam ambo et accuratam et suæ quisque indoli accommodatam orationem pronuntient. Ut Theonoen (1), sic spectatores credo

(1) *Ibid.*, 946, τοῦ δὲ Μενέλεω ποθῶ λόγους ἀκοῦσαι τίνας ἐρεῖ ψυχῆς πέρι.

audire juvabat, quid uterque sui capitis causa dicturi essent; μέγας γὰρ ἀγών (1090). Huc tendebat ars poeta; hoc si placet attende; illa vero instrumenta et tanquam πάρεργα actionis velut ipse, sic nos negligamus. — In fabula vero cujus argumento tollitur omnis divinationis fama, fit insignior Theonoes exceptio, et notatu digna ea est opinio, qua rerum divinarum prudentiæ justitia conjunctissima habetur, et vatem posse denegatur omnia scire, virtutem ignorare (*Ibid.*, 919 et s.). Tamen plurimum ponderis habent illius responsa, non tam quia vera sunt, quam quia præcipuas personas, si aperiuntur, sine dubio perdere possunt, et id potissimum, quod non divinationis est sed actionis, exspectatur, eloquaturne illa an sileat.

In *Phœnissis* inducitur *Tiresias*, ut sit causa cur Menœceus se devoveat. Si ad vatem ipsum respicis, parum est in eo auctoritatis, malitiæ non nihil. Silentium enim quod in Œdipo tyranno verum videbatur, hic de industria compositum suspicaris. Tacet ille, sed se cupit interrogari (1); et quum ad respondendum non ira, sed prima qualibet prece adducitur, videtur profecto, deorum instar quos interpretatur (871), habere ipse σόφισμα quoddam suum. Sæva autem et odiosa imperat, scilicet ejici terra Œdipum senem (1590 et 886), Menœcea juve-

(1) Vide præcipue, v. 885, 890, 897, 899 et s.

nem (1) dracontis in antro necari; neque ulla orationis mollitie levat rei crudelitatem; verbis contra barbaram et ætatem et gentem sonat (937, χθὼν δ'ἀντὶ καρποῦ καρπὸν, ἀντὶ θ'αἵματος αἷμ' ἣν λάβῃ βρότειον). Facile credimus Tiresiæ (955) talia vaticinantium artem plenam esse acerbitatis. — Sin melius rem totam perspicis, vatem intelliges parum quidem præ se ferre vel dignitatis vel veritatis, sed utilitatem suam, quæ sola ejus inducendi causa fuit, quodammodo aperte fateri. Patris affectum oportebat movere, imo efferare. Ergo non hic Tiresias primas partes agit et spectantis curam meret, sed Creon cui a dis præcipitur nati supplicium. Commentitius quidem videtur ille hariolus; sed pater quam verus! ut dolore et reluctatione et precibus et errore placet! Liquet hinc cur Eteoclis vice Creon ad consulendum fungatur (769); cur Menœceus Tiresiam arcessiverit et ad patrem duxerit, unde illa exclamatio erumpet plena affectus: 905, ποῦ'στιν Μενοικέυς (Cf. 841); sic ex divinatione ducta sunt arma vetusta quidem et situ turpia, sed quibus præclarissimum certamen institui potuit.

Idem vates in *Bacchis* inducitur primum credo ne Cadmus adsit incomitatus, deinde ne incautus imprudensve ad sacrilegium mortemque Pentheus ruat. Mirum vero quantum a pristina indole et

(1) Quod ille unus nec quisquam alius lege designatur, subtilitatem et interpretantis vatis et jubentis deî admirare (944 s.).

proprio officio quod servat in aliis fabulis Tiresias hic recesserit (1). Non senior, sed ævo obsitus, uno quoque gradu titubat; imo mente etiam vacillat; nempe dis a suis descivit ut sophistarum præcepta imbiberet et novæ philosophiæ placita balbutiret. Parva sunt alia quæ reprehensa sunt; jam in *Phœnissis* (852 s.) adverterit aliquis virum, qui tempora novit, eumdem tempora omnia, quum Erechthidas et Eumolpi bellum memoraret, perturbasse. Hic non errat tantum vates, sed contra omnem temporis rationem sine dubio ipse inductus est; qui enim fieri potuerit ut jam ætate provectus (175) et ipsi generis auctori Cadmo coævus esset idem vates, a quo Œdipus Œdipique filii fata sua docendi essent? Sed non tanti fuit quidquam de vatibus aut a vate falso dici. Poetarum quidem superiorum exemplo ductus nomen Euripides incautus elegit tempori cuivis, ut ei videbatur, aptum. — In exprimenda vero divini indole iisque eligendis quæ dicturus erat, non major fuit ejus diligentia. Sunt qui male certa Cadmi vestigia defenderint (2). Pro Tiresia illo Baccharum præs nemo ni fallor fieri voluit. Scilicet in hac fabula, qua Euripides contrariam solitæ viam tenuit (3), vatem dicas prioris culpæ, si qua culpa fuit, pro omnibus pœnam dedisse. Quam mutatus

(1) Contra Lübker. et Strobl.

(2) Girard, *Sent. relig.*, p. 404. Cf. *Rev. des Deux-Mondes*, 15 nov. 78, p. 414.

(3) Contra Girard, *Revue*, ibid., p. 397.

enim adest ab illo Sophocleo semper ad iram minasque ruente! Quamvis eum nova mulcta Pentheus affecerit, quæ cum levitate aliqua majorem acerbitatem ferebat (346 et s.), crudus alias senex iniquam ultionem æquissimo animo patitur, vix aliqua mussare contentus (358 et s.). Utrum vires ne iræ quidem jam suppeditant, anp lacidos Dionysi mores æmulatur (419, φιλεῖ δ'..εἰρήναν... 844, πάντῃ τό γ' ἐμὸν εὐτρεπὲς πάρα)? Dei quidem subtilius ingenium nonnulli arguerunt; sed vix mihi fingo unum lectorem vel apud veteres, præter acerrimos physicæ sectatores, risum tenuisse quum prudens ille obscurarum rerum explicator sive vim Bacchi fracta oratione celebraret (278 et s.) et siccum udo conferret, sive de Διὸς μηρῷ (286) argutias illas effutiret. Nempe ista, ut Anaxagoræ discipulis placuerint, miror tamen quomodo populus exceperit vatisque indoli accommodarit. Quod si hunc ultimum locum interpolatione aliqua excusabunt (V. Bœckh, *Græcæ trag. pr.*, p. 316 et Hartung, *Eur. rest.*, II, 542. Contra Kirchhoff *Euripidis* editionem, et Nægelsb., *N. T.*, p. 445), quonam modo abjectam purgabunt hominis indolem, quem credas Dionysii simiam? Scite Hartungus notavit, *l. l.*, sententiam eamdem quam in Hippolyto servus senior defenderat, tenere hic Tiresiam; liquet vero unum e vulgo, imo servum non velut celeberrimum vatem ea dignitate frui, unde dejici possit et vere hoc loco ille dejectus est. In *Bacchis* non jam θεομαχεῖ (325) poeta; idem vero

pergit cum divinantibus pugnare, quorum principem finxit docilem, timidum animi, minime constantem sibi, in magna re tenuem, spiritus omnis, quanquam bacchari cupit, expertem; Baccharum certe mulierum chòro omnino inferiorem, in quo verus est furor et omnis generis miracula.

Ut in Æschylo, hic etiam *Cassandra* quæ mala sibi impendeant, pronuntiat. Indolem vero puellæ Euripides more suo immutavit, quæ non fata sua dolet, nec patriam libertatemque eluget, sed quum Agamemnoni jamjam tradenda est, inter gementes *Troadas* læta erumpit et effera exsultatione, felicis cladis quodammodo *bucinatrix*, hymenæum suum celebrat. — Illius quidem oratio (sic eam magis quam veram vaticinationem dicemus), partes habet quæ non omnibus placere non possunt, Hecatæ post hymenæum illam invocationem (*Troad.*, 323, cf. 445), versusque quibus vel nudam se projectam ad torrentis ripam videt, vel jam relinquendæ patriæ et mortuis patri et fratribus valedicit (1); scæna vero omnis renovata est spe illa certissima ulciscendæ patriæ, quam secundum Euripidem omnes postea imitati sunt. Sed præcipue admirandus tragicus maxime is introitus, quo pulcherrimis dochmiacis exitium ac mortem suam extollit. Sed ut hoc exor-

(1) Serta hic discerpit (451) velut in Æschylo ; sed ea præcedentibus Hecubæ verbis (256) paulum infirmantur ; item post versum de Ulysse (442) : ζῶν εἶσ'ἐς Αἵδην, aliquid fractius habet (445) ; ὅπως τάχιστ'ἐς Αἵδου νυμφίῳ γημώμεθα.

dio Æschylum Euripides æquavit, sic media parte atque omni compositione ei sine dubio cedit. — Primum hic desideratur quem in altera vaticinatione nemo non percipit, insignis rerum atque orationis ordo ac processus. Trochæis quidem verba pulchre concluduntur (444 et s.); sed via non adeo recta est ad hunc finem. Imo utilitas totius rei ac præcipue longæ de Ulysse vaticinationis, in quam casu declinasse Cassandra videtur, legentem fugiet, nisi quis prologi memor fabulam attendet ad Græcorum et victoriam et miserrimos labores simul spectare, eorumque mala Trojanorum malis deorum voluntate arctissime conjungi. Ergo Æschyleæ virginis verba inflammata non hic exspectanda sunt; ubi primum Hecuba delirantis furorem leniit, subito illa omnino deferbuit; nec ad pacem tantum mentis elabitur, sed etiam ad dicendi partes ac colores, ad propositionem (365, πόλιν δὲ δείξω), et schemata omnia (361, ἀλλ' αὐτ' ἐάσω · πέλεκυν οὐχ ὑμνήσομεν...) silvamque omnem argutiarum quæ otiosis placent. Nunquam non ad thesim suam respicit, ut Teucros Græcis feliciores et fuisse et fore defendat; quo proposito non furit, sed rhetorico more desipit. Nihil fremit, sed explicat ea quidem securitate mentis, ut sui penitus conscia audientes moneat se quamvis deum in præcordiis retineat, tamen tantisper furore temperaturam (367, ἔνθεος μὲν, ἀλλ' ὅμως τοσόνδε γ' ἔξω στήσομαι βακχευμάτων); imo ut in tralatu corrigere studeat quæ parum convenientia sibi

apud Æschylum tribui videbantur (384, σιγᾶν ἄμεινον τᾀσχρά).

Sane Æschyleus locus omnino aliter et sonat et legentem movet. Sed cavebo ne in hoc deserto solo, quem ramum pæne unicum decerpsimus ac viridantem videmus, dicendo extenuem, quia non auro totus resplendeat. Eo nihil melius in Euripide habemus, nec credo tam voluntati poetæ quam litterarum æmulationi debitum.

CONCLUSIUNCULA

In *fragmentis* perditorum tragicorum nullum inveni divinationis vestigium, vix aliquam somniorum (*Anonym.*, 137, W. p. 177), oraculorum (in fg. Neophronis, *Medea*, 1, p. 20), et magicarum rationum (in Pythone, 1, p. 135 b. et Sosiphane, p. 157 b.) mentionem.

Præter tragicos non refert quærere qualis fuerit in scæna divinatio. Liquet enim *Comicorum* fuisse eam non tam describere quam illudere; quorum veteres illam divinantesque velut omnia alia liberrime exagitaverunt, ita tamen ut non omnino rei fidem expugnarent (1); recentiores autem majorem ipso silentio severitatem professi sunt illamque pæne ignorarunt; optimum duxerunt vatem qui plurimum saperet (in Menandro, Θεοφ., 1); neque de arte illa quidquam curarunt, nisi quum homines anili superstitione tanquam gravissimo morbo captos inducerent. (V. Menandri fabulas quibus inscri-

(1) Apud Aristophanem *de oraculis*, vide *Pacem*, 1070 et s. *Equites*, 61 et s., 109, 961 et s. *Lysistrata*, 780. *De famelicis hariolis*, vide *de Lampone Aves*, 521, 988, *de Hierocle*, *Pacem*, 1046, *de Eurycle*, *Vespas.*, 1019, denique de vatibus omnibus *Nub.*, 332 et s. *Equit.*, 1268, sed duas maxime scænas lepidissime et inventas et scriptas *Aves*, 960 et s., et *Pacem*, 1043 et s.

bitur Δεισιδαίμων, Θεοφορουμένη, Θεττάλη, Ἱερεία, et fr. inc. 5, Stob., 98). Illi igitur quam sequimur divinationi dicendum est in istis fabulis nullum fuisse natura neque factum a poetis locum.

In tragicis autem, ut illa omnia coarctentur, divinatio apud Græcos certe antiquitatis propria fuit, quasi illis annis minus decesserit ab ortu suo et religione quacum mortalibus tradita esse videbatur; viguitque quam maxime in prima ætate, quum tragœdia e Bacchi sacris tanquam e pulcherrimo nido jam adulta et viribus freta evolavit; deinde decurso spatio aliquo tanquam post tempestivam maturitatem oblanguit, et quum cresceret in dies poetarum et religionis popularis discordia, vix semel aut iterum oculos quodammodo sustulit, donec in formam inanem componendi elaberetur, et merum fieret instrumentum actionis.

Quod si ex Græcorum ceterorumque poematis *conditiones* colligemus quibus pars illa tragœdiæ carere non potest, præter ingenium quod nemini inter præclaros poetas defuit, inveniemus præcipue duas, quarum una ad *ætatem* altera ad *poetam* pertinebit. — Primum enim auditores poetæ de re consentire oportet, et magis ad fiduciam et simplicitatem animi quam ad risum et procacitatem inclinare. Nulla sane gens fuit in qua non pluribus aut paucis certe datum sit habere nasum; in sagaciore vero corona, ubi ars illa exoleta et ridicula judicatur et si quid cum ea conjungitur, sæculo habetur inde-

corum; quum non modo rerum usu omnium hominum animus concalluit semperque aliquid quod rideat festive odoratur, interdum fingit, sed etiam divinatio ipsa propter tenuitatem vatum a religionis auctoritate omnino abducta est ad mercedem et quæstum, et in vita se damnat ipsa fidemque suam evertit; tum mehercule vaticinatio nulla in theatro potest vere fieri. Sic Euripidi et Voltario nostro, etiamsi id sincere voluissent, veros vates inducendi pæne nulla facultas fuit (1). — Altera vero quæ ad ipsum *poetam* spectat, non minus est necessaria. Quid enim de ceteris agimus, si eadem inter rem poetamque subest discordia, et in arte quam proponit, nihil ille præter dolum ac præstigias videt? Quomodo assensionem aliorum captabit, qui sibi ipse non conciliabitur? Nequidquam reluctabitur secum; nil verum vel maximo labore proferet, falleturque is primum qui falsos vates putaverit; nempe in iis fingendis frustra erit. Unde intelligi potest cur Sophocles non æque in ea parte atque in ceteris felix fuerit, Racinius contra sacerdotem in hebraica tragœdia Christi ortum præclarissime canentem induxerit, Schaxperius et vates et vaticinantium prædictionibus perturbatos homines, felicissime expresserit; denique Marathonius poeta numine quodam pro-

(1) Credidisse Anglos hariolorum prædictionibus quum Schaxperius fabulas suas ederet, monent Villemain. *Litt. dix-huitième siècle*, in-12, III, p. 339, Mézières, *Shakspeare*, chap. V, § 5. Stapfer, *Rev. Suisse*, oct. 1877, p. 183 et s.

prio afflatus omnes ea parte superaverit. — Divinationem apud Græcos exagitavit Euripides, invitus Sophocles attigit quanquam non invita Minerva; summa vi descripsit Æschylus ac veluti firmum fundamentum plurimis aptavit trilogiis, facibusque omnibus orationis incendit. Cui quidem poetæ defuit neutra ex iis, quas diximus, conditionibus; etenim quum inter eum populumque de divinatione conveniebat, tum mens ipsius in deorum historia habitabat eamque in sæcula distribuebat, imo processum quemdam divinæ prolis, divinæ etiam justitiæ ausus est excogitare; gravitati in eodem sinceritas addebatur, ardori orationis animi pondus et constantia, certissimis artis rationibus maxima ubique audacia et sæpissime qui dicebatur Bacchi, quem cujus dei voles dicere est, divinus certe furor. Ergo illum sine dubitatione habebimus apud Græcos *et vaticinationis et vaticinantium interpretem unicum*.

FINIS.

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. III, Non. mai.
ann. MDCCCLXXIX
Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
H. WALLON.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX CAPITUM

Index librorum quos adhibui. I
Procemium. V

CAPUT PRIMUM.

Æschylus. 1
§ 1. — Quid de divinatione senserit Æschylus. 5
§ 2. — Cur quomodo et quales inducantur, ... 19
Darius, ... 20
Prometheus, ... 33
Cassandra. 45

CAPUT SECUNDUM.

Sophocles. 60
§ 1. — Quid de divinatione Sophocles protulerit. . . . . *Ibid.*
§ 2. — Quomodo et quales inducantur, ... 69
sub mortem vaticinans Œdipus Coloneus, ... 70
vatesque ille unicus in *Œdipo rege*, p. 73, et in *Antigone* Tiresias. 75

CAPUT TERTIUM.

Euripides. 79
§ 1. — Quid de divinatione simul ac dis popularibus senserit Euripides. . . . . *Ibid.*
§ 2. — Quomodo et quales inducantur vates alii in aliis fabulis, ... 95
sed præcipue in *Phœnissis*, p. 97, et in *Bacchis* Tiresias, ... 98
in *Troadibus* Cassandra, ... 101
Conclusiuncula. 105

ERRATA

P. III, l. 4, Sinn.
P. v, l. 4 (a fine) lege : *personas vaticinantes*.
P. 6, l. 3, opinabantur,...
P. 8, n. 2, l. 2, a f. : Clemente.
P. 12, l. 8, impio scelestæque.
— l. 14, ipsos adjuvare.
P. 16, l. 6, a f. : fuit ibi fides.
P. 18, l. 4, agunt grandi ore.
P. 21, l. 2, a f. : merens non semel auspiciis
P. 24, l. 3, Oxoniensi.
— l. 3, a f. : consuetudinemque.
P. 25, l. 4, a f. : nihil ferme aliud...
P. 29 (in ultimo verbo) : quas.
P. 31, n. 1, ξύμμαχος.
P. 37, l. 13, quidem ; sed quum.
P. 53, l. 11, οὐδὲν.
P. 54, l. 3, a f. : proprium.
P. 55, n. 1 : et veteris.
P. 59, l. 10 : novum.
P. 65, n. 1, *Eurip. Theol.*
P. 68, l. 15, τοῦ.
P. 84, l. 8, a f. : In dis igitur.
P. 95 (in titulo) : in aliis.
P. 100, l. 7 : an placidos.
P. 101 (in ult. lin.) νυμφίῳ.